ORATIO DE ECCLESIA, EJUSQ; AUCTORITATE & POTESTATE;

IN GRATIAM JOANNIS PISTORII NIDDANI, VULPECULÆ ΠΟΙΚΙΛΟΜΌΡΦΟΥ, ADEOQ; RELIGIONUM

aliquammultarum, non (ut PHILIPPUM traducit Melanchthona) fabri, sed APOSTATÆ; Recitata Marpurgi 15. Decembris, Anni æræ Christianæ 1590.

CUI ADJUNCTÆ SUNT,

I. *Pro defensione* LUTHERI *adversus* ALBERTUM HUNGERUM *Iesuitam Ingolstadiensem, qui malitiosè & contra conscientiæ testimonium coincidere doctrinam nostram cum Epicuri dogmatis, demonstrare conatus est:*

II. *De Astrologorum Prognosticis; & quæ eorum certitudo cum divinis literis conveniens?*

III. *De Principio Individuationis, collatis sententiis doctissimorum philosophorum Archangeli Mercenarii & Jacobi Zabarellæ.*

AUCTORE

OTHONE GUALTPERIO D. ET PROFESSORE Marpurgensi.

MARPURGI, typis Pauli Egenolphi. M. D. XCI.

NOBILISSIMIS, ANTIQUA VIRTUTE ET STEMMATE CLARISSIMIS, PRUDENTIA, RERUM USU, SINceræq; religionis amore maximè conspicuis viris, Dn. JOANNI RIEDESELIO, Marschallo Hassiæ hæreditario; & Dn. VOLPERTO RIEDESELIO, fratribus; Nobilibus in Eysenbach, &c: Mecœnatibus ac patronis suis unicè observandis S. P.

S*Tropha illa, quibus* Joannes Pistorius *Niddanus, & contra conscientiam, & contra paternam institutionem fidelem, ad jugum illud meretricium Romanum permultos ex iis retrahere conatur, qui antehac singulari Dei misericordia è Babylone illa egressi sunt; vobis Strenui atq; nobilissimi viri, tàm sunt accuratè nota, ut etiam me priores jamdudū cùm intellexeritis, tùm pro eximia pietate & eruditione vestra discusseritis. Etsi itaq; vestri caussâ non erat necesse, viri istius alioqui virulenti καὶ πολυμορφοτάτου facere mentionē: tamen studiosæ juventutis interest, oratione simplici, perplexas ejus & à Logicis legibus alienissimas Sophisticationes detegere. Artificio enim quodam novo arbitratur miserrimus ille Apostata, restauraturum se collapsum Antichristi Romani statum, dum omnia eludit, ex angulo baculum & angulum è baculo cōcludit, millena cum centenis miscet, nihil exponit, nihil demonstrat, mentem suam non explicat, & interim tamen magnus vult haberi demonstrator. Quæ artes, ut nugacitatis sunt plenæ & ne titivillitio quidem redimendæ, ita ab hoc viro tanta cum animi impotentia adeoq; impudentia exercentur, ut utrum mente captus sit, & severiorem philosophandi rationem, ea, qua decebat, sobrietate, ad scripturarum expositionem accommodare animum unquam induxerit, vix per conjecturam assequi liceat. Probationem ut afferam, à me, nobilissimi viri, sat scio, non requiritis. De iis enim quæ ad salutem creditu sunt necessaria, sic disputat, ut tandem nesciat ipse, quæ sit fidei suæ mensura. Hanc enim*

vult esse, non Scripturam Sacram Canonicam tãtùm, sed omnes omninò traditiones humanas, quæcunq; à Pontificibus Romanis (etiam ratione ordinis in rebus adiaphoris seu indifferentibus) & antehac in Ecclesiã introductæ sunt, & deinceps pro arbitrio Pontificum introducendæ. Quod si verum est, nec ipse potest dicere explicatè (utar enim ipsius voce) nec ante ipsum tot mille viri Christianissimi dicere potuerunt explicatè, quæ sibi ad salutem creditu essent necessaria. Quomodo enim explicatè diceret illud, de cujus eventu cõstare ipsi haudquicquam possit? Fieri potest, ut Pontifex Romanus futurus sit impiissimus, quemadmodum antehac fuerunt ex illorum numero & Magi & alii, ut de Joanne XII nominatim autor fasciculi temporum hæc verba disertè ponit: Iste Joannes Venator fuit & totus lubricus, fœminas publicè tenebat, quapropter depositus fuit per Othonem, sed non curavit; tandem cum uxore cujusdam se oblectans, à Diabolo in tempore percutitur, & sine pœnitẽtia subitò moritur. Eja Deus æterne, quàm dispares sunt illi prioribus! Hæc autor ille. Hi & consimiles Pontifices, inquam, si legem aliquam æquè impiam in Ecclesiam Christi inveherent, quemadmodum multas, quæ cum scripto Dei verbo è diametro pugnant, dudum invexerunt, anne & hæc fidei vel Apostolorum vel sanctorum patrum mensura fuerit? Pistorii fuerit, non mea vel patrum. Quæ cùm considerarem, viri nobilissimi, & superioribus mensibus oratiuncula quædam recitanda mihi esset; argumentum illud de Ecclesia Christi vera, & falsa Pontificia Romana, stylo simplici & plano tractandum mihi sumpsi. ~~Cumq; studiosi nonnulli ut ederetur, apud me instarent, voluntati & petitioni ipsorum refragari nolui. Vobis au~~tem viri nobilissimi inscribẽdam eam operæpretiũ duxi, tùm quod & ipsi materiem hanc satis probè, ut initiò dixi, intelligatis, tùm quoq; quòd adversus Pistoriũ tutari me vobis sit facillimum. Diligẽter interim, officiosè etiam atq; etiam rogo, ut fronte benevola eam accipiatis, & me vobis commẽdatum esse patiamini. Datæ Marp. Calend. Junii, Anni Epochæ Christianæ M. D. XCI.

Strenuam vestram Nobil. officiosè colens

Otho Gualperius D. Græcæ & Hebrææ linguæ Professor.

ORATIO
DE ECCLESIA, EIVS QUE AUCTORITATE ET POTESTATE.

GRAVIS oratio eſt, omniq; conſideratione digna, pulcerrime ſtudioſæ juventutis flos; & ſi quæ præterea adeſt hoſpitum corona: quam regius Pſaltes ad Dominum Deum ſuum his verbis effundit: Unum petii à Jehovah, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, & manè viſitem templum ejus. Exiſtimat nimirum vir ſanctus, veram ac ſolidam beatitudinem felicitatemq; in hoc uno conſiſtere, ſi Dominum Deum ſuum ritè cognoſcere, ejusq; laudes in medio Eccleſiæ cætu concelebrare poſſet. Et verè quidem. Etenim, ſi in hunc & non alium finem Deus Opt. Max. hominē initiò condidit, ſapiētia, juſtitia, ſanctitate ornavit, ſuam ipſi voluntatem patefecit, ac poſtmodum graviſſimè lapſum per filium ſuum dilectum in Spiritu ſancto reſtauravit atq; ſanctificavit, ut ſcilicet ab ipſo ritè agnoſceretur, invocaretur, laudaretur, celebraretur; hæc ſola certè & unica hominis voluptas eſſe debuerit, hoc unicum deſiderium, votum, gaudium, ut nempe in domo Domini, hoc eſt, Eccleſia Dei, ubi laudes creatoris perſonant, omnibus diebus vitæ manere liceat. Cæterùm, cùm omni tempore in mundo, non modò variæ multumque inter ſe diſcrepantes fuerint religionis ſententiæ, varia cultuum genera, populiq; qui de cultu certârint ac titulo Eccleſiæ fuerint gloriati: verumetiam de dignitate, authoritate, præſtantia ac poteſtate veræ Eccleſiæ, in utramq; partem tàm à piis quàm impiis multum quæſitum fuerit ſemper: non inanem operam me ſumpturum

Pſal. 27.

 putavi,

putavi, si hac quidem vice, ubi aliquid pro consuetudine Scholæ nostræ dicendum mihi est, argumemtum aliquod de Ecclesia tractandum susciperem, & ex hoc loco ad studiosam juventutem pro ratione studii mei Theologici nec non temporis angustia strictim & breviter recitarem. Itaq; ut intelligatis quid potissimum à me debeatis expectare, ipse cancellos seu limites mihi circumscribam, intra quos mea decurrat Oratio. Ac quidem duas ejus quasi columnas ponam, quarum altera authoritatem dignitatemq; Ecclesiæ inscriptam contineat, altera ejusdem potestatem. De his dum ex liquidissimis fontibus Israël, pro ingenii modulo dicere conor, quæso properanti mihi humanas atque benevolas aures vestras præbere ne dedignemini. Ac ut rem ipsam dextro pede aggrediar, illudq; quod res est dicam, est profectò Ecclesiæ splendor, authoritas, dignitasq; tanta, quanta vix ac ne vix quidem à me videtur posse exprimi. Ecclesiam dico, non quamvis, (sunt enim Ecclesiæ malignantium: sunt & alii cœtus hypocritarum & hircorum, qui specioso Ecclesiæ titulo, falsò tamen gloriantur) sed veram Ecclesiam dico, quæ scilicet cœtus est à Deo ad vitam æternam electorum, toto quidem terrarum orbe dispersorum (unde & Catholicam in Symbolo profitemur) eâdem tamen doctrinâ, eodem spiritu conjunctorum, credentium promissionibus Evangelicis, & Sacramenta divinitus instituta legitimè usurpantium. Hæc Ecclesia ut non nuper nata est, ita ab ultima mundi origine floruit, suisq; semper munita fuit insignibus privilegiisq;. Enimverò Deus Opt. Max. cùm initio statim mundi hominẽ condidisset, collocavit ipsum in amplissimum longeq; amœnissimum hortum Eden, ornavit ipsum suis insignibus, justitia, sanctitate, integritate, mentis acumine, notitiaq; perfectissima: privilegium dedit dominandi pecoribus camporum ac piscibus maris. Hæc dulcissima Ecclesiæ species & imago fuit, hæc augustissima insignia. Sedenim posteaquam tristis ille ac miserabilis consecutus est lapsus, quo primi nostri parentes à Sathana miserè seducti, suisq; insignibus spoliati sunt, noluit nihilominus Deus noster Ecclesiam recens plantatam deserere, sed eam potius novo fœdere sibi jungere voluit, promisso nimirum benedicto mulieris semine, quod caput serpentis conculcare, vulnusq; jamjam inflictum sanare deberet. Hìc Sacrosancta Trinitas (ut humano more loquar) in deliberationem descendit, ac de reparando genere humano cogitavit. Misericordia Dei

volebat,

volebat, ut homo lapsus reciperetur in gratiam. Justitia Dei volebat, ut propter peccatum in creatorem commissum ad æternas detruderetur pœnas. Itaq; mirando consilio medium inventum est, constitutumq;, ut ipse Filius Dei humana carne vestitus, λύτρον seu precium redemptionis interponeret, suaq; obedientia & satisfactione patri humanum genus reconciliaret. Filius ex immensa erga illud dilectione provinciam hanc liberrimè lubentissimeque suscepit, ac tali fœdere sibi jungi dignatus est, quale vix arctius firmiúsve excogitari possit. Scriptura sacra spirituale conjugium esse pronunciat, & Sponsi Christi, sponsæq; Ecclesiæ amorem ardentissimum multoties decantat. Admiramur in rebus humanis, quando potentissimorum regum ac monarcharum videmus uxores, suspicimus illarum splendorem ac dignitatem: magis miramur, si Regem aliquem eam ducere videamus, quæ formæ elegantia ac pulchritudine corporis tanto principe indigna videatur: omnium maximè miraremur, si ex infimæ sortis hominibus, fœminisq; plebeis aliquam, monarchæ alicui matrimonio jungi experiremur, quæ neq; claro genere nata, nec divitiis, neque corporis præstantia, nec virtutum ornamentis appareret conspicua. At quantò magis mirabimur, atq; suspiciemus, si hanc quæ inter filium Dei & Ecclesiam facta est, copulationem consideraverimus. Etenim initiò quidem, ut antè etiam ostensum est, Sponsa hæc Christi speciosa & amabilis fuit, stemmate clara, videlicet ab ipso Deo creatore formata, animi corporisq; dotibus præclarissimis tanquam stellis quibusdam coruscans, ornata habitu supra modum insigni, condecorata pretiosissimo indumento, imagine Dei: ex quibus deinceps omnium reliquarum virium, animæ & corporis, omniumq; membrorum justa concinnaque proportio ac decentissima constitutio secuta est. Verùm (proh dolor), cùm serpens ille crudelis præstantissimæ huic virgini invideret, eamq; suâ versutiâ eò deduceret, ut sponso legitimo deserto, in fornicationem spiritualem prolaberetur, ibi demùm tristissima subsecuta est metamorphosis, ornatus omnis ablatus, pretiosissimus lapillus, qui in mente fulgebat, ereptus, originalis justitia expuncta fuit. Neq; hoc solùm, sed & in illorum locum horribilis cæcitas, injustitia, impuritas, omniumq; virium à Deo creatore suo aversio successerunt. Quo infelici contagio tanquam abominanda lepra hæc Sponsa ita infecta fuit, ut nihil sani in ipsa relinqueretur à vertice capitis usque ad

plantam

plantam pedis. Quid verò hîc Filius Dei Sponsus? num tàm miserè vastatam & deformatam Sponsam abjecit, & dato repudii libello fecit discessionem? Merebatur quidem hoc ejus improbitas. Verùm hic Sponsus longè aliter est affectus. Plenus namq; misericordiarum, conditionem ejus miseratus, denuò è vinculis Diaboli eam liberandam, sibiq; in fide ac justitia desponsandam judicat. Ideoq; è sinu cœlestis patris sui prodiens, preciosissimo suo sanguine profuso, ex infernalis Draconis fauce redimit, pristinæq; restituit dignitati. Emundat eam lavacro aquæ in verbo à peccatorum sordibus, sibiq; ceu sponsam gloriosam sistit, non habentem rugam aut maculam, aut aliud quid hujuscemodi: resignat ipsi patris sui voluntatem, eamq; sigillis sanctissimis confirmat: æterno fœdere sibi copulatam intimo amore complectitur, fovet, tuetur, gubernat, defendit, & tandem aliquando consummato cursu hujus seculi, intra regni sui æterni palatia introducet, participem eam redditurus omnium bonorum cœlestium, visione Dei summi boni, perpetuaq; & nunquam desitura beatorum angelorum & hominum conversatione. O immensum filii Dei erga Sponsam suam Ecclesiam amorem! ô misericordiam immensam! Fremat nunc orbis & orcus, rumpantur & ilia mundo: tamen non poterunt Ecclesiam à sponso suo divellere: minentur cædes, non tamen poterunt extinguere: conspirent universa: nihil tamen periclitabitur, custode Christo, Ecclesia. Legimus, omnibus ætatibus conspirasse Diabolum cum mundo, ut partim vi, partim fraude & dolo sanctiss. hunc cœtum prorsus everterent, à Deo vero ad cultum impium & idololatricum averterent; tyrannide, hæresibus, hypocrisi, onerarent: Veruntamen divina ita disponente providentia, nequaquam id fieri potuit. Legimus Cainum impium, cum vix è cunis egressa esset Ecclesia, Sathanæ instinctu Abelem fratrem suum occidisse, membrum veræ Ecclesiæ avulsisse; atqui propterea non statim tota concidit Ecclesia, quin imò effloruit rursum, & in pia Sethi posteritate propagata est. Quid? quòd ea ipsa Abelis interfectione illustrior sit reddita, dum impius fratricida terroribus conscientiæ convictus testimonium dat, hunc populum Deo acceptum gratumq; esse. Ita omnibus temporibus hoc unum molitus est Sathan, in hoc unum omnium versutiarum & artium suarum tela direxit, ut quoquo modo sanctissimum hunc cœtum deleret, pessundaret, perderet. Ac sanè in eas interdum

redegit

redegit angustias, ut nisi firmo & immoto innixa fuisset fundamento Ecclesia, ac lapide angulari Christo, prorsus interdum eversa fuisse videri potuisset. Temporibus Lothi, quàm exigua fuit Ecclesia? Temporibus Nohæ, quàm angusta fuit Ecclesia? Temporibus Eliæ, Elisæi, Christi, quàm contracta fuit Ecclesia? Et tamen fuit, est & erit Ecclesia. Aspice omnium temporum historias, lege & relege tùm sacrorum tùm prophanorum scriptorum monumenta, evolve quicquid volueris, & comperies, nunquam suis tyrannis & hostibus caruisse Ecclesiam: Et tamen mansit, manet & manebit Ecclesia. In omnibus Imperiis & Monarchiis, vel quidam saltem impii fuerunt gubernatores, qui filium osculari recusârunt, Ecclesiam ejus non ornatam, sed deformatam, non erectam sed destructam, non plantatam sed eradicatam atq; extinctam prorsus voluerunt. Non ii tantum tyranni, qui extranei ab Ecclesia Dei fuerunt, verumetiam domestici, quibus Ecclesiæ summa & salus commendata erat; qui patroni, qui defensores, qui nutricii ejus esse debebant: Et tamen nihilominus mansit, manet, manebitq; Ecclesia. Exemplis populus Israëliticus in Veteri Testamento abundat: ne dicam de Imperatoribus novi fœderis, Nerone, Caligula, Domitiano, Trajano, Diocletiano, Maximino, Juliano Apostata, & id genus aliis, qui ut Comicus ille dicit, σὺν θεῷ σὺν ἀσπίδι Ecclesiam adoriri & infestare non cessaverunt, adeoque hostes fuerunt aperti. Sed quid de Antichristo Romano, hoste domestico loquar, quem ebrium fore de sanguine sanctorum & de sanguine martyrum Jesu, præsignificavit Joannes, sic ut admiratione magna miraretur Babylonem magnam matrem scortationum atq; abominationum terræ. Hocq; ab eo vaticinium jamdudum crudelissimè adimpletum esse, abundè comprobare vobis potest, qui de testibus veritatis sub Papatu miserrimè extinctis collectus est Catalogus. Verumenimverò ex his omnibus periculis extraxit Ecclesiam suam, qui præsidet ei, Christus, ut vel in ipsis mediis Imperiorum ruinis & Antichristi proscriptionibus atq; anathematismis, Ecclesia, sua semper invenerit halcyonia, nunquam deleri, nunquam extingui prorsus, oppugnari non expugnari, premi non opprimi potuerit. Et sanè habet Ecclesia suam etiam πανοπλίαν & armaturam, qua se tùm belli tempore adversus tyrannos, tùm pacis tempore adversus hæreticos & hypocritas defendit. Armaturam illam egregiè nobis depingit Apostolus, Eph. 6. his verbis; Assumite universam ar-

maturam Dei, ut possitis resistere in die malo & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circumcinctis baltheo perveritatem, & induti thoracem justitiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Evangelium pacis: super omnia assumpto scuto fidei, quò possitis omnia jacula Mali illius ignita extinguere; galeamq; salutarem accipite, & gladium Spiritus, qui est verbum Dei in omni deprecatione & obsecratione, orantes in omni tempore in Spiritu, & ad hoc ipsum vigilantes cum omni sedulitate & deprecatione pro omnibus sanctis.

Ac profectò his armis verè pia Ecclesiæ membra, contra mundum & Diabolum vincunt, vicerunt, & vincent semper. Etenim, licet tyranni hanc fragilem & caducam vitam sanctis martyribus (omni tormentorum genere adhibito) eripuerint, fune, flamma, ferro, flumine Ecclesiam persecuti sint, templa solo adæquaverint, facultates fidelium diripuerint: fidem tamen in Christum & animas Christi sanguine redemptas eripere ipsis non potuerunt: quinimò sancti martyres pro gloria Christi ultrò sanguinem suum profundere, jacturam facultatum facere, jugulo suo gladiorum aciem retundere, sanguine suo ignes restinguere, constantia sua pertinaciam hostium, fide perfidiam, charitate odium, tolerantia carnificinam, deniq; morte vim hostium superare, ac sic in Christo vitam suam abscondere parati fuerunt, cùm econtrà tyranni cùm tragicas & fatales sibi calamitates accersiverint, tùm æternæ gehěnæ incendium sibi acceleraverint. Hypocritis, ubi innotuerunt, larva detracta est, & pii de ipsorũ conversatione fuerunt admoniti. Hæretici, tametsi perversis suis opinionibus, disputando, declamando, sophisticando, arguendo, Scripturam huc illuc torquendo, colorem inducere, Ecclesiæ litem intendere, manipulares sibi adsciscere, quadrata rotundis mutare conati sint, ut pacem Ecclesiæ turbarent, pium consensum ac fidei unitatem tollerent: tamen subinde Ecclesiæ præses exuscitavit viros cordatos, pios, doctos, sanorum verborum hypotypósi instructos, qui Spiritus probârint, blasphemias fanaticorum increpârint, pura fidei suæ confessione ac repetitione refutârint, errantes in viam reduxerint, infimos in fide susceperint, mansuetudinis Spiritu foverint, αὐτοκατακρίτους increpârint, ac Domino, cui cadebant, judicandos reliquerint. Exempla innumera, nisi de industria brevitati studerem, ex historiis Ecclesiasticis, Pseudoapostolorum, Ebionis, Cerinthi, Tatiani, Montani, Samosateni, Eudoxii, Arii, Macedonii, alio-

Pistorius αὐτοκατάκριτος καὶ τὴν ἰδίαν συνείδησιν κεκαυτηριασμένος.

nii, aliorumq; qui ab his seducti & in naufragium fidei adducti fuerunt, producerem, & ne in consimiles pœnas, consimiles Apostatæ incide- rent, monerem. Cæterùm ne his quidem omnibus Ecclesiæ laudibus satisfactum est, nisi præclarę etiam audiantur à Domino ipsi factæ pro- missiones illarumq; obsignationes, quas tanquam pretiosissimum thesaurum adhuc secum habet reconditum. Enimverò in his demum conscientiæ verorum Ecclesiæ membrorum acquiescunt, ubi dulcissi- mas conciones Dei ad Ecclesiam suam in hunc modum loquentis ex- audiunt: Ego creator tuus Jacob, & formator tuus Israël, ne timeas, quoniam redemi te, vocavi te nomine tuo, meus es tu: Si transieris per aquam, tecum ero, aut per flumina, non inundabunt te: & si transieris per ignem, non combureris, nec flamma ardebit in te: Quia ego Do- minus Deus tuus, Sanctus Israëlis, Salvator tuus. Et iterum Jerem. 49. & sequentibus capitibus, multis verbis tutelam suam pöllicetur ei Do- minus. Matth. 28. Christus inquit: Ego vobiscum ero, usq; ad consum- mationem seculi. Joan. 6. Oves meæ vocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea. Quid? quòd multis myriadibus angelorum, excubias Ecclesiæ ita muniat Deus, ut ne portæ quidem inferorum aliquid contrà prævalituræ sint.

Esa. 41.

Quibus accedit, quòd Spiritum sanctum in corda fidelium effun- dit Dominus, qui consoletur eos, vivificet, doceat, fulciat infirmita- tem illorum, varia dona in illos distribuat, fiduciam accendat, testimo- nium det spiritui nostro, quòd simus filii Dei, ut per ipsum clamemus Abba pater. Neq; hoc solùm, sed & promissionem habent fideles ex- auditionis, ut quicquid in nomine Christi petant, impetrent. Hinc piorum constantia & robur in perferendis omnis generis calamitati- bus: hinc mundi, & illorum omnium quæ mundum sapiunt, contem- ptus: hinc illæ voces verè Davidicæ: Etiamsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo malum: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolantur. Et rursum; jacta curam seu sarcinam tuam in Dominum, & spera in eo; & ipse faciet. Hinc Hiobus 14. Si in infernum usq; de- truseris me Domine, tamen in te sperabo. Hinc Apostolus ad Roma- nenses 8; Scimus, inquit, quòd his qui diligunt Deum, omnia simul ad- jumento sint in bonum. Et iterum: Si Deus pro nobis; quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? quis inten-

tabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui justificat; quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est; imò qui & suscitatus est; qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? quemadmodum scriptum est, propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oves destinatæ mactationi. Verùm in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, quòd neque mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia neq; futura, neq; altitudo neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Intellexistis* opinor auditores humaniss. quanta sit veræ Ecclesiæ (de qua hactenus verba fecimus) authoritas, splendor atq; majestas, cùm hoc cœtu antiquior sanctiórve indicari nullus possit, nullus, qui Dei providentiæ magis sit commendatus, nullus, qui tali capite, præside, sponso sit illustrior; nullus, qui talibus armis adversus Diabolum & mundum sit instructior, nullus qui Dei & angelorum præsidio tutior, nullus deniq;, qui virtutum ornamentis ductore & rectore S. spiritu, fide, charitate, spe, patientia, sanctimonia, aliisq; virtutibus magis conspicuus. Itaq; nunc ad alteram orationis nostræ columnam progrediemur, & quid de potestate Ecclesiæ habendum sit, eadem, qua hactenus usi sumus, brevitate videbimus. Neminem autem vestrûm (auditores) adeò sacrorum ignarum esse arbitror, qui putet, me de externa quadam & civili potestate dicturum, quam Ecclesia vi fortasse aut gladio in principes, dominos & filios hujus seculi, exerceat; (ostensum namq; in priori orationis parte fuit, hanc defensionis laudem in solidum capiti Christo, qui præses, custos & lapis angularis Ecclesiæ est, deberi) sed potius quia spirituale Ecclesiæ regnum est, armaq; ejus spiritualia, etiam potestas erit spiritualis. Eaq; non immensa aut infinita, sed certis terminis & limitibus circumscripta, non tyrannis aut dominium politicum, sed ministerium verbi divinitus revelati ad ædificationem à Deo institutum.

Unde quicquid habet potestatis, id ratione verbi Dei habet, non propria authoritate sibi sumpsit, sed à capite Christo accepit. Exercet igitur eam in prædicatione & propagatione veræ doctrinæ, veri cultus & invocationis Dei creatoris, idq; non in certis quibusdam, aut angustis hu-

stis hujus mundi angulis, sed in universo terrarum orbe, juxta illud Christi, prædicate Evangelium universæ creaturæ: Non quòd existimemus cum fanaticis, licere quibuslibet hinc inde per totum terrarum orbem discurrere, ac propagandi Evangelii prætextu, omnium quotquot in orbe sunt, Ecclesiarum administrandarum curam suscipere. Singulare enim hoc Apostolorum Christi privilegium fuit, qui soli ex mandato & instructione magistri sui, ad hoc ipsum insigni illo linguarum dono in solenni pentecostes festo ornati, legatione hac ritè fungi potuerunt. Reliquos omnes, cujuscunq; authoritatis & ordinis, intra limites vocationis suæ se continere, Ecclesiis sibi concreditis præesse, omniaq; in illis ad ædificationem instituere oportet. Hæc prima & summa Ecclesiæ potestas est, ad quam politica & civilis hujus mundi potestas omnis, ne comparari quidem meretur. Etenim potestas secularis externam quidem Pædagogiam vitæ complectitur, morumque habenas moderatur: at verò Evangelium potentia Dei est ad salutem omni credenti; quandoquidem per hanc stultam verbi prædicationem placuit Deo salvos facere credentes. Potestas secularis corpori nocere vel prodesse potest: Evangelii prædicatio animos hominum attingit: potestas secularis prudentia & consilio hominum nititur: hæc verò spiritu & virtute Dei perficitur. Hoc illud est, quod sibi vult Apostolus, quando 1. Cor. 1. & 2. ingenuè gloriatur, quòd, ubi non potuisset mundus persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, non armis, non opibus, non ullis callidis consiliis ad Christum humilem, & in speciem contemptum adduci, humili tamen verbi prædicatione ad submittendos fasces regno Christi sit adactus. *Exercetur* deinde Ecclesiæ potestas in legitima Sacramentorum administratione, quæ secundum institutionem præscriptumq; magistri & capitis Christi dispensanda sunt. Hæc potestas cum superiori conjungenda est. Enimverò, ut per verbi prædicationem, operante per illud sanctiss. Dei Spiritu, Ecclesia in his terris colligitur: ita per Sacramentorum distributionem usumque salutarem ceu nervum singularem, singula Ecclesiæ membra invicem colligantur & coagmentantur, ut crescant in unum corpus, cujus caput sit Christus. Hæc potestas tanta est, ut nisi quis regeneretur ex aqua & Spiritu, non possit intrare in regnum cœlorum: tam salutaris est, ut perpetuò fidei (sine qua Deo placere impossibile est) augmentum subministret. Habet porrò Ecclesia potestatem

 testifi-

testificandi de Scripturis Sacris divinitus per Prophetas & Apostolos consignatis atq; ad nos usq; perpetua traditione quasi per manus delatis. Ob quam caussam Deus voluntatem suam literis commendari voluit, ut perpetuus in Ecclesia retineretur consensus fideiq; unitas, & constaret, qui cultus ipsi placeant, ne amisso verbo scripto pii periclitarentur, ac Sathanæ & perversæ rationis judicio ad ἐθελοθρησκείας humanas cum æterno animarum suarum exitio prolaberentur. Sed enim accuratè hic videndum est, quibus testificationibus standum, quæ recipiendæ, in quibus tutò acquiescendum sit: nimirum non iis omnibus, quas Romana Ecclesia nunc pro Apostolicis traditionibus venditat, quæq; verbo scripto è diametro sunt contrariæ: sed iis tantùm, quæ omni ex parte tenori & sensui universæ Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ sint consentaneæ, ad fidei ἀναλογίαν congruant, & sinceriorum patrum testimonio comprobentur. Hinc est, quòd Ecclesia ab Apostolo columna & firmamentum veritatis dicatur, non profectò eam ob caussam, ac si veritas verbi humana niteretur authoritate & fundamento (fundamentum siquidem aliud ponere nemo potest, nisi quod positum est, *Jesus Christus*) sed quòd verbi ministerio in Ecclesia perpetuò veritas custodiatur, conservetur, inveniatur. Hinc etiam est, quòd Christus Ecclesiam audiri præcipit, inquiens, qui vos audit, me audit: non sanè, ut si quid contra Scripturæ mentem vel præter Doctoris magistriq; sui vocem prolatura sit, protinus acceptetur, sed eatenus audiatur, quatenus in Cathedra Mosis sedet, vocemq; ἀρχιποιμένος sui agnoscit, & ὑποτύπωσιν sanorum verborum retinet ac sonat. Sed hic tumultuantem audire mihi videor, novum Apostatam Pistorium, novæ Sophistices fabricatorem; præter ea inquiet, quæ in Sacra Scriptura Canonica de fidei dogmatibus traduntur, multa adhuc alia sunt credenda, quæ ab Apostolis in chartas relata non sunt, sed omissa studiosè, & vivæ Ecclesiæ voci commendata; sed audi, mi Pistori, putásne quædam omissa ab Apostolis quæ scripto verbo non contineantur, & tamen creditu sint necessaria? Quæ igitur illa Augustini vox, de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 9. In his quæ APERTE posita sunt in Scriptura, inveniuntur OMNIA illa, quæ continent FIDEM moresq; vivendi, spem scilicet & charitatem? Quæ illa Hieronymi in expositione capitis 23. Matthæi, quando recenset, nonnullos Zachariam eo in loco patrem Joannis intelligere, ex quibusdam videlicet

licet apocryphorum ſomniis approbantes, quòd propterea occiſus ſit, quia Salvatoris prædicârit adventum; & addit: Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur? Quæ illa Conſtantini Imperatoris in Concilio Nicæno: εὐαγγελικαὶ καὶ ἀποστολικαὶ βίβλοι καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. τὴν πολεμοποιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν, ἐκ τῶν ΘΕΟΠΝΕΥΣΤΩΝ ΛΟΓΩΝ λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν. Attendat Piſtorius quid dicant mecum Patres Eccleſiaſtici, & ab inſulſo ſuo inſtituto, ni planè in reprobum datus ſit ſenſum, deinceps diſcat deſiſtere.

Porrò Eccleſiæ poteſtas eſt in probandis ſpiritibus, dijudicandis religionis controverſiis & contrà pugnantes damnandis. 1. Canonica Joan. 4. Ne cuivis Spiritui credatis, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint. Eſa. 8. Ad legem & ad teſtimonium, quòd ſi non dixerint ſecundum verbum hoc, non erit eis matutina lux. Matth. 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt; Hunc audite. Gal. 1. Si vel angelus de cœlo aliud docuerit Evangelium, anathema eſto. Unde igitur dijudicatio illa, niſi ex certo eoq; ſcripto verbo? Huc accedit donum interpretandi Scripturas, ſingulari Dei beneficio Eccleſiæ conceſſum, non quidem liberum aut abſolutæ poteſtatis, quale Pontifex Romanus ſe in ſcrinio pectoris ſui habere falsò autumat: ſed collatione locorum facta, obſcuriora, ſi quæ ſunt, ex manifeſtioribus enarrans, ut ſit Apoſtolo authore, Prophetia analoga fidei; & Spiritus Prophetarum ipſis Prophetis ſubjiciantur. In quam ſententiam & D. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, cùm explicaſſet locum, Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcent: tandem hæc verba dexterrimè ſubjicit; Si quis autem vel meliorem vel alterum ſenſum potuerit reperire, qui contrariorum inter ſe teſtimoniorum ſcandalum tollat, illius magis acquieſcendum ſententiæ eſt. At quid hîc Piſtorius cum Suitis ſuis? Ergóne, quicquid nobis obtrudit Romana Pontificia Eccleſia, ſeu conſonum ſit analogiæ fidei ſeu non, protinus pro oraculis erit habendum acceptandumq;? non opinor, niſi fungis ſimus ſtupidiores, ſtulti, ſtolidi, fatui, bardi, buccones, blenni; & quod Deus avertat, cum Apoſtata Piſtorio velimus κυβιστᾶν.

Habet Eccleſia authoritatem & poteſtatem excommunicandi

ſcelera-

ſceleratos, recipiendi pœnitentes: habet claves ligandi & abſolvendi, occludendi regnum cœlorum, idemque reſignandi, atteſtante illud Scriptura Sacra Matth.16. Tibi Petro (Petri nomine Eccleſiam intellige) dabo claves regni cœlorum: Quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cœlo: & quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis. Et iterum, Joan. 20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hæc poteſtas conſolationis pleniſſima eſt, omnibusq; mundi poteſtatibus longiſſimè anteferenda, dum privatim ac publicè remiſſionem peccatorum, & quidem non ſemel aut ſepties in die, ſed ſeptuagies ſepties annunciari pœnitentibus audimus. Hoc parabolæ Chriſti probant de paſtore ovem perditam quærente, de amiſſa drachma mulieris, de filio prodigo, qui poſt conſumptam cum meretricibus pecuniam ad patrem revertebatur. Sic Petrum contra conſcientiam graviſſimè lapſum Chriſtus ipſe recepit, Eccleſiæq; ſuæ paſtorem fecit, ut ſuo exemplo lapſos conſolaretur peccatores. Juxta illud, Luc. 22. Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Sic Paulus Galatarum Eccleſiam à Pſeudoapoſtolis ſeductam recepit. Sic idem Corinthium inceſtuoſum.

Habet deniq; Eccleſia poteſtatem ceremonias ac ritus Eccleſiaſticos pro ratione loci ac temporis, ad ædificationem & ordinem facientes conſtituendi, dummodo non pugnent cum Scriptura ſacra, liberè & ἀδιαφόρως cenſeantur fieri, careantq; opinione cultus, neceſſitatis ac meriti.

In his, quæ diximus, auditores ornatiſſimi, vera, legitima, genuina, ordinaria, & à Chriſto ipſo conceſſa Eccleſiæ conſiſtit poteſtas: ad quam ſi deinceps infinitam illam, quam ſibi Pontifex Romanus Eccleſiæ titulo uſurpat poteſtatem, pauliſper pro temporis ratione contulero, humanitatis veſtræ rationem habebo, ac Colophonem orationi meæ imponam.

Pontifex Romanus, Eccleſiarum quotquot in orbe ſunt Epiſcopus, ſi Diis placet, generalis & ſummus, poteſtatem Eccleſiæ, eam eſſe affirmat, quam ipſe ſibi, ſuiq; ipſi tanquam capiti Eccleſiæ, Chriſtique in terris vicario aſſcribunt. Nos contrà negamus, & dicimus falſiſſima & turpiſſima eſſe mendacia, impudentiamq; pluſquam meretriciam.

Quòd ſcilicet Papa Romanus omnia jura habeat in ſcrinio pectoris

ctoris sui,lib. 6. Decretalium de constitutionibus: etiamsi sit idiota & immemor sui nominis. Nec etiamsi suæ propriæ fraternæq; salutis immemor, quotidie innumeras animas catervatim secum abduceret in infernum, quisquam illi debeat dicere: Quid, aut cur facis? distinct. 40. cap. si Papa.

Quòd Papa sit supra omnia Concilia, & quòd ea omnia ab authoritate Papæ dependeant. Concil. Florentinum.

Quòd suprema sit ejus potestas, adeoque absoluta præcipiendi quam habeat ut vult: ut Franciscus de Ripa affirmat, ita ut Deus rata habeat, quæcunq; faciat Papa, ut Sigismundo Loffredo placuit.

Quòd Papa idem habeat consistorium cum Deo & tribunal cum Christo.

Quòd possit mutare formam Sacramentorum. Archidiaconus.

Quòd in fide errare non possit, Johan. de turre cremata.

Quòd Papæ tradita sit omnis potestas in cœlo & in terra, juxta illud: Data est mihi omnis potestas. Antonius Florent. Unde mandat angelis Paradysi, ut morientis in via, Romam versus religionis caussâ, animam à purgatorio penitus absolutam, in Paradysi gloriam introducant. Clemens VI. in sua bulla de anno jubilæo.

Quòd sicut aurum excellit plumbum, sic dignitas Papæ excedat Imperialem: & sicut Sol dicatur pater omnium Planetarum & Dominus: ita Papa sit pater omnium dignitatum. Et sicut Luna recipiat lumen à Sole, ita imperialis dignitas à Papa.

Quòd Papa sit pater universalis omnium fidelium & omnium ovium Christi. Joan. de Turre cremata.

Quòd sit quoddam Numen, quasi visibilem quendam Deum præ se ferens. Ludovicus Gemesius.

Quòd à Papa ne ad Deum quidem appellari possit. Quòd immutet rerum naturam, substantialia unius rei applicando alii. Quòd possit aliquid de nihilo facere, de injustitia justitiam, corrigendo jura & mutando. Quòd possit omnia facere quæ Deus facit: & quòd non sit disputandum, quin Papa omnia possit. Marianus Soccinus.

Quòd Papa sit Deus: ut Felinus affirmat. Vel secundum alios, quòd nec Deus, nec homo, nec angelus sit.

Quòd ipsius potestas major sit omni alia creatura, & extendat se ad cœlestia, terrestria & infernalia.

Quòd vel D. Petri sedes Papam sanctum faciat, ut Papa Symmachus jactitavit: Et contrariis Petro vivens moribus nihilominus verus sit Pontifex, ut Concil. Constantiense contra Joannem Huss determinavit.

Quòd Papa possit contra Epistolas Pauli statuere: Carolus Ruinus; Quia major Paulo: & Petro par in administratione; Antonius de Rosellis. Quòd liceat ipsi novos condere articulos fidei, & conscientias sine verbo Dei astringere necessitate obtemperandi.

Quòd Papa sit Sponsus totius Ecclesiæ. Joan. de Turr. crem. & Papæ nullus par nisi Deus, Augustinus Berojus.

Deniq; adulatores Pontificii sic Papam alicubi alloquuntur: Tu es Sacerdos magnus & Pontifex summus: Tu princeps Episcoporum & hæres Apostolorum: in primatu Abel: gubernatione Arca Noë: Patriarchatu Abraham: ordine Melchisedech: dignitate Aaron: authoritate Moyses: judicatu Samuel: zelo Helias: mansuetudine David: potestate Petrus: unctione Christus.

Quid amplius Pontifex Romane? quare non Deum prorsus vel saltem filium ejus à dextera omnipotentis patris sui detrudis, & tu pro tribunali sedes solus?

Nos hæc omnia & singula, quæcunq; modò de te ex tuis protulimus, turpissima & impudentissima mendacia esse dicimus, ab ipso Diabolo excogitata, ab Antichristo, filio perditionis usurpata, à Thrasonibus Antichristianis defensa.

Heus tu Pontifex Romane, dic unde habes illam infinitam & immensam potestatem? Respondes, te Ecclesiæ nomine illam habere, cujus tu sis caput universale. At proba nobis primò, te esse Ecclesiæ caput & Episcopum generalem: proba secundò, hanc esse germanam Ecclesiæ potestatem. Nos tibi dilucidè ex Scripturis Sacris & testimoniis piæ & eruditæ vetustatis demonstrabimus, te falsò utrumq; asseverare. Caput enim Ecclesiæ universale non es, quia ad Ephes. 1. Christum caput Ecclesiæ datum esse legimus: Suscitavit Christum, inquit Apostolus, ex mortuis, non Pontificem Romanum, quem sedere fecit ad dexteram in cœlestibus, & eum dedit CAPUT super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum ejus, qui omnia in omnibus adimplet. CHRISTUS ipse Matth. 28. apertè dicit, SIBI (non Pontifici Romano) datam omnem potestatem in cœlo & in terra.

Itaq;

Itaq; manifestam injuriam filio Dei faciunt, quotquot Ecclesiæ caput aliud, quàm Christum quærunt. Ascendit quidem Christus in cœlum, ita tamen, ut nihilominus omnibus diebus ad consummationem seculi nobiscum sit: recessit à nobis, ita tamen ut nihilominus adsit nobis, & orphanos seu capite gubernante & protegente destitutos nequaquam relinquat. Sed videor mihi audire exceptionem pontificiam; non agi de Christi honore & dignitate, quæ salva & integra maneat, sed tantùm de visibili & ministeriali capite ac vicario Christi in terris: Atqui Christum adhuc habere in terra potestatem; & cùm è terris migraret, abundè suæ prospexisse Ecclesiæ edocti sumus: quandoquidem in altum ascendens, dedit dona hominibus, Ephes. 4. atq; alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, id est, Ecclesiæ. Hæc ministeria Deus ipse in Ecclesia constituit, non Pontificem Romanum; quæ si ut facit Pontifex sufficere non arbitrabitur, næ ipso sapientior Deo fuerit. Scilicet quia Pontifex Romanus est, qui nec Deus nec homo sit (ut asseclæ ipsius ridiculè affirmant) sed medium inter utrumq;. Accedit quòd omnibus temporibus tales aliquos Ecclesiæ suæ Doctores præficit, quibus & confert Spiritum Sanctum, & præclara dona ad Ecclesiæ gubernationem necessaria & sufficientia, quæ Pontifex in scrinio pectoris sui, reliqua misera monachorũ turba in insulis suis habere se stultè existimant. Quid? ánne Pontifex Romanus in vera Christi Ecclesia universale & ministeriale caput esset, quod reliquis Ecclesiæ membris non modò præemineret, sed pro lubitu in illa dominaretur? cùm Christus & Petrus disertè hoc in concionibus suis vetuerint? Fallitur, & profectò fallitur, quisquis hoc persuaderi sibi à pontifice patitur. Ita namq; Lucas cap. 22. Facta est contentio, inquit, inter Apostolos, quis eorum videretur esse major: at respondit Jesus: Reges gentium dominantur; & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter major est: an qui ministrat, an qui accumbit, nónne qui accumbit? At ego in medio vestrûm sum, ut qui ministrat, vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.

Præterea Apostolus Ephes. 4. disertè affirmat, omnes cujuscunq;

conditionis in Ecclesia numerari inter corporis membra, & laborandum ipsis ad ædificationem corporis Christi. Ex quo manifestum fit, nullum ex illis membris posse fieri caput, sed soli Christo; in quo & per quem omnes proficiunt, quiq; solus est perfectus, dignitatem hanc esse relinquendam.

Quinetiam in Scripturis nusquam legitur quòd hic vel alius ex Apostolis jus in reliquos aut primatum sibi usurpaverit, sed summa inter omnes ostenditur æqualitas. In Synodo Hierosolymitana Act. 15. Jacobus & Petrus ceu pares de oblatis negotiis differunt. 1. Corinth. 3. pluribus verbis docet Apostolus, non esse gloriandum in ullis hominibus, vel ulli Apostolo plus quàm alteri tribuendum. Omnia, inquit, vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.

Ad Galatas se vel summis Apostolis, nominatim verò Jacobo, Cephæ & Joanni per omnia parem esse differit: Et addit, se, cùm Petrum Antiochiæ (etiam in adiaphoris) videret errantem, obstitisse in faciem, ac reprehendisse, qua parte reprehendi meruerat. *Petrus* ipse 1. Epist. 5. ad gubernatores Ecclesiarum, sic loquitur: Presbyteros, qui inter vos sunt, obsecro, qui sum & ipse Presbyter & testis afflictionum Christi, atq; idem consors gloriæ, quæ revelabitur: pascite, quantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes, non coactè, sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo: neq; ceu dominium exercentes adversus cleros, sed sic, ut sitis exemplaria gregis. Et cùm apparuerit ille Pastorum princeps, reportabitis immarcescibilem gloriæ coronam.

Quo loco profectò disertè Petrum uni Christo, quem ἀρχιποιμένα facit, supremum deferre honorem, simulq; prohibere seriò videmus, ne quisquam in Ecclesia dominium sibi in populum Dei vendicet. His argumentis validissimis planeq; invictis, nisi prorsus profligatam eversamq; pontificiam authoritatem existimarem, forem fortassis in recensendis sincerioris antiquitatis testimoniis aliquantò longior: Sed ne vestra benevolentia abuti videar, brevitatis ratione habita, unum & alterum protulisse sufficiet.

Origenes igitur Homil. 6. in Esai. Qui ad Episcopatum vocatur, inquit, non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ. Si vis credere de Scripturis, quia in Ecclesia servus sit omnium qui præest: suadeat tibi ipse Salvator & Dominus, qui talis tantusq; factus

est in

est in medio discipulorum, non quasi discumbens, sed quasi ministrans.

Cyprianus in Synodo Carthaginensi, referente Augustino de Baptismo lib. 3. cap. 3. Neq; enim quisquam nostrûm, inquit, Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit. Idem ad Romanos Episcopos, Cornelium, Stephanum, Lucium scripturus, ita cum ipsis agit in omnibus, ut eos pares, non autem superiores ab illo agnitos promptissimum sit intelligere.

Chrysostomus Hom. 1. Epist. ad Titum pluribus verbis docet, Episcopatum non esse principatum. Et ad Innocentium Episcopum Romanum scribens, nusquam universalem Episcopum ipsum agnoscit, sed veluti à patre consilium & auxilium expetit.

Hieronymus ad Evagrium: Ubicunq; fuerit Episcopus, inquit, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Thanis, ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii. Potentia divitiarum vel paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Scitum est illud Domitii Oratoris: Cur ego te habeam ut principem, cùm tu me non habeas ut senatorem. Et addit, unus Dominus, unum templum, unum sit etiam ministerium. Recordemur semper, quid Apostolus Petrus præcipiat sacerdotibus: Pascite eum, qui in vobis est, gregem. Idem Epistolam ad Titum enarrans prolixè demonstrat, Episcopos & Presbyteros esse ejusdem & paris inter se authoritatis.

Augustinus cum Hieronymo idem sentit. *Gregorius* I. ejusdem Romanæ Ecclesiæ præsul, multis locis exponit quantoperè Pontifici Romano universalis Episcopi appellatio fugienda sit. Ex quo apparet, sexcentis annis à Christo nato in vera primitiva Ecclesia Episcopi universalis nomen nequaquam Pontifici Romano impositum fuisse, donec tandem circiter annum Domini 610. Bonifacius III. ab Imperatore Phoca, qui Mauricium Imperatorem cum uxore & liberis interfecerat, impetravit, ut omnium Episcoporum Princeps appellaretur. Quod tamen ipsum sequentibus temporibus adeò non placuit Ecclesiis Orientalibus, ut cùm Joan. 23. Pontifex Roman. à Græcis petiisset obedientiam, quòd caput esset universalis Ecclesiæ, & Christi in terris vicarius, rectè ipsi respondisse leguntur: Potentiam tuam summam erga subditos tuos firmiter credimus: superbiam tuam summam

tolerare non possumus: Avaritiam tuam satiare non valemus: Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. Et notum est responsum Philippi Pulchri, regis Galliarum, datum Bonifacio 8, in hunc modum: Philippus Dei Gratia Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus alicui nos non subesse: Ecclesiarum & præbendarum collationem ad nos jure Regio pertinere, secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus. *Verumenimverò* objiciunt Pontificii, Babylonicam meretricem excusantes, plenariam illam potestatē Romanis præsulibus jure divino deberi, propterea quòd D. Petri Apostoli in sede sint successores. Super hunc autem ædificatam esse Ecclesiam, dicente Christo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam: huic traditas esse claves regni cœlorum, & ligandi ac solvendi potestatem: huic terna vice dictū, pasce oves meas. Atqui num D. Petrus Romæ unquā fuerit, non immeritò dubitamus, cùm contrà quàm docent Pontificii, ex D. Pauli Epistolis, actis Apostolorum, aliisq; indubitatæ fidei historiis certissimis argumentis colligatur, ipsum nequaquā Romæ (quæ ex gentilismo ad fidem Jesu Christi conversorum erat Ecclesia) sed Hierosolymis potius vel alibi inter Judæos versatum esse: nimirum cùm hoc pactum inter Petrum & Paulum non solùm initum, sed mutuis etiam dexteris confirmatum legamus, ut hic in gentes, ille verò in circumcisionem Apostolatu fungeretur. Et si maximè concederemus (quod tamen nondum concedimus) Petrum aliquandiu Romæ sedisse, inde tamen nondum efficeretur, tenuisse Petrū in reliquas Ecclesias primatum, cùm neq; Christum ipsi talē assignasse, nec ipsum in Epistolis suis eum usurpasse legamus: quin contrà potius Apostolos primatum affectantes Christum acriter reprehendisse, & Petrum semetipsum compresbyterum appellasse paulò antè planū fecimus. Nec D. Petri sedes, ut ipsi nugantur, Papam sanctū faceret. Cathedra enim, ut rectè Chrysost. scribit, non facit Sacerdotem, nec locus sanctificat hominem: Sed contrà potius Sacerdos Cathedram facit, & homo locum sanctificat. Nec etiam hæreditaria sunt Apostolorum dona, sed personalia, videlicet personam illorum non excedentia. Unde non inscitè Thomas Aquinas, Pontifici Romano, opes suas & pecuniarum suarum acervos ostentanti, ac dicenti: Ecce Thoma, non possum cum D. Petro dicere, aurum & argentum non est mihi, respondit: Ideò etiam

iam sanctissime pater non potes cum eodem dicere, Surge & ambula. Adhæc quòd ipsum Ecclesiæ columnam & petram esse dicunt, ex malè intellecta Christi ad Petri confessionem responsione: ex ipsius Petri verbis (qui proculdubio suiipsius optimus est interpres) liquidò respondemus. Is disertè in 1. epist. c. 2. pronunciat, Christum esse petram: siquidem gustastis, inquit, quòd benignus est Dominus, ad quem accedentes, qui lapis est vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & ipsi quoq; veluti vivi lapides ædificemini. Ad eundem modum D. Paulus 1. Cor. 10. asserit Christum esse Petram spiritualem, de qua Patres in deserto hauserunt & biberũt potum spiritualem. Itaq; Christi verba ad Petrũ, de petra accipi oportet de ipso Christo, quem Petrus confessus fuerat Dei viventis filium. Astipulatur nobis Augustinus, eadem verba enarrans Sermon. 13. Quia Christus petra, inquit, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est: ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quando non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergò, inquit, Petrus: & super hanc petram; quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam, id est, super meipsum filium Dei vivi ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te. Simili modo Hieronymus in Commentario ad 7. Matth. caput, super Petram Christum, ait fundatam Ecclesiam, & ab ea petra etiam Petrum sortiri nomen.

Deniq; quod de clavibus, uni Petro concessis objiciunt, ex Augustino respõdemus, tract. in Ioan. 118. Cùm omnes Apostoli essent interrogati, inquit, solus Petrus respondit: Tu es Christus filius Dei vivi. Et ei dicitur: Tibi dabo claves regni cœlorum: tanquam ligandi atque solvendi solus acceperit potestatem, cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit: ideò unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus.

Nec etiam Petrus solus oves Christi pavit, nec solus ordinavit Episcópos, sed reliqui Apostoli omnes idem factitârunt. Ita non Petrus Timotheum & Titum ordinavit, sed Paulus. Qui postea hos quoq; oppidatim presbyteros constituere voluit: imò quod amplius est, nec Petrus nec Paulus, nec quisquam Apostolorum alius amplissimas Antiochenam & Romanam Ecclesias, sed horum discipuli plantasse leguntur. Ac ut ad finem tandem decurrat oratio, quid opus est in

re, ipsa

re, ipsa luce meridiana clariore tandiu eruditas vestras aures detinere, quandoquidem, si inspiciantur Apostolorum res gestæ, si accuratè expendantur omnia ipsorum scripta, in his omnibus comperiamus, omnes inter se fuisse pares, nec ullo modo Petrum se prætulisse aliis, nec alios superiores agnovisse.

Habetis igitur, (auditores humanissimi) alteram quoq; orationis meæ de potestate Ecclesiæ columnam, quæ si vera, genuina, legitima, ordinaria est, in prædicatione & propagatione veræ doctrinæ, veri cultus & invocationis Dei creatoris: in legitima Sacramentorum dispensatione: in testificatione Scripturarum; in probandis spiritibus & dijudicandis religionis controversiis: in Scripturarum interpretationibus: in potestate clavium: in constituendis ceremoniis & ritibus ordinandis Ecclesiasticis exercetur. Contrà quàm Pontifex Romanus Scortum Babylonicum, omnesq; ipsius manipulares adulatores & asseclæ existimant, qui infinitam illam faciunt, Christum angularem lapidem rejiciunt, & in ipsius locum monstrum horrendum, Papam Romanum, fulcrum stramineum, contra omnes scripturas, scripturarum expositores sinceros, contra jus denique divinum & humanum substernunt.

Quocirca his absolutis ad Deum Opt. Max. orationem meam converto, eumq; ex intimis cordis penetralibus adoro, ut ipse Ecclesiam suam ministerio verbi inde à mundi exordio collectam, omnipotenti suâ dexterâ omni tempore contra insultus & fremitus hostium ac tyrannorum, contra portas inferorum protectam, sanctissimorum angelorum operâ munitam, & partim nunc in cœlo triumphantem, partim adhuc in mediis mundi ruinis ceu ingenti malorum Oceano fluctuantem, porrò clementer conservet, tueatur, Spiritu suo regat, ducat, & tandem glorioso filii sui adventu ad æternam beatitudinem & felicitatem transferat, ubi ipsum à facie ad faciem videat, consortio beatorum angelorum & hominum fruatur, ac Sanctus, Sanctus, Sanctus, in omnem æternitatem ingeminare non desinat. Amen.

DIXI.

ORA-

ORATIO PRO DEFENSIONE LVTHERI LVTHERANORVMq; doctrina:

Adversus

ALBERTVM HVNGERVM IESVITAM Ingolstadianum.

SAPIENS est illa atq; consideratione dignissima commonitio, Magnifice Dn. Rector, illustres & generosi Barones, Reverendi, clarissimi, consultissimi, humanissimi atq; ornatissimi viri, studiosi lectissimi, quæ extat in Pythagoræ Samii Poëmatio, quod nomine χρυσῶν ἐπῶν inscribitur, cùm inquit:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι, καὶ μετέπειτα
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας ἐπιπλήσσεο, χρηστὰ δὲ τέρπου,
Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐκμελέτα, τούτων χρὴ ἐρᾶν σε.
Ταῦτά σε τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.

Hoc est, ut carmine exposuit Gerardus Matthisius:

Mollibus inducas oculis non antè soporem
Cuncta ter exacti quàm volueris acta diei:
Quò sum transgressus? quid feci? quid boni amissum est?
A primo incipiens sic ordine cuncta revolve,
Deq; mala doleas, de re lateris honesta;
Hæc age & exerce vigil, hæc adamare decet te,
Hæc te virtutis diæ ad vestigia ducent.

Enimverò, quemadmodum aliàs in omnibus vitæ partibus verissimum esse deprehendimus, quòd scilicet tum demum actionum nostrarum optatos consequamur fines, quando subinde officii injuncti memores, debita çum pietate sobrietateq; ad animum revocamus,

quid primò; quid ſecundò, quid tertiò, quid ultimò præſtandum faciendumq; nobis ſit: ita inprimis in re literaria vel maximè neceſſarium hoc poteſt videri. Eſt enim hîc cum artium varietate conjuncta difficultas haud levis ita, ut nunc obſtet obſcuritas, nunc impediat ſubtilitas, nunc mentis & ingenii remoretur tarditas, & quod omnium graviſſimum eſt, infinita illa pulcherrimarum doctrinarum multitudo memoriam noſtram ſic videatur obruere, ut eas aut rectè complecti, aut ſatis retinere firmiter, vix ac ne vix quidem valeat. Quare prudenter cùm præceptores illi faciunt, qui diſcipulis ſuis cum Pythagora frequenter inculcant, ut ſcholam ingreſſi repetant verſiculum Pythagoricæ diligentiæ exactorem: πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; tum quoq; diſcipuli rectè ſtudiis ſuis conſulunt, quando cum ſene graviſſimo Catone, Pythagoreorum more exercendæ memoriæ cauſſa, quid quoq; die dixerint, audiverint, egerint, veſperi commemorant. Hæc cùm ſtudioſè & diligenter etiam atq; etiam conſiderarent præſentes in medium producti candidati, ideoq; libenter parentum & præceptorum ſuorum monitis obtemperarent, nihilq; non, quod ad eruditionem & virtutem comparandam faceret, tentarent Logica, Rhetorica, Latina mathematica, græca, inſtar germanorum Pythagoræ diſcipulorum repeterent, tandem hucuſq; in artibus modò nominatis progreſſi ſunt, ut digni fuerint judicati, quibus hodierna luce in ſolenni hoc conventu Scholaſtico primus Philoſophiæ honos publicè à me decernatur ac conferatur.

Cicer. in Cat. major.

Cæterùm ne contra ſtatuta & morem laudatiſſimæ hujus Academiæ, ἀνίπτοις, quod dicitur, χερσὶν ad laureæ iſtius diſtributionem prorupiſſe videar, materiẽ aliquam utilem & ſalutarem in gratiam ſtudioſæ juventutis initiò pertractandã ſuſcipiam. Deliberanti autem mihi, quodnam argumentũ ex tanta rerum varietate potiſſimùm ſeligendum ducerem, quod & actu & auditorio hoc dignum judicari, à meo verò in ſacrarum literarum ſtudio, cui maximam vitæ partem dedidi, haud alienum poſſet cenſeri: tandem conſtitui, de philoſophia quidem & philoſophorum placitis aliquid diſſerere: quòd talem videlicet tractationem tempus atq; locus depoſcere videãtur: at item de Theologia & Theologis, quòd talis diſſertatio ſtudiorum meorum rationibus maximè conſentanea, accommodataq; eſſe exiſtimetur.

Verumenimverò, ut hujus inſtituti mei cauſſam atq; occaſionem paulò

paulò plenius intelligatis, nolite putare me temeraria quadam incogitantia Philosophiam cum Theologia, & contrà velle confundere, quasi facultatem illam utramq; certis quibusdam limitibus & metis haud judicarem distinctam: verùm occasionem, ut facerem, præbuit insignis ille & nobilis Lutheri, aliorumq; protestantium Theologorum calumniator, ALBERTUS HUNGERUS, Theologiæ in Ingolstadiensium Academia Professor ordinarius, ejusdemq; procancellarius, cui annis abhinc paucis in consimili palæstra eadem planè ratione de Philosophia & Theologia disserere placuit. Philosophum enim proponit sibi Epicurum ejusdemq; Philosophiam & placita: Theologum Lutherum, hujusq; doctrinam & dogmata. Atque inter hos duos decem integris pagellis conatur ostendere, tantam esse homologiam, analogiam, consensum, concentumque doctrinam utriusq; tam consentaneam, tam cognatam, tam consimilem, ut vix ovum, quod dicitur, ovo sit similius, adeò ut, quemadmodum Epicurus ex diversis Philosophorum placitis circulum coëgerit, & de obsoletis Cyrenaicis aliisq; philosophastris floruerit: ita Lutherus ex variis jampridem damnatis & anathematizatis hæresibus Manetis, Arii, Eunomii, Vigilantii, Joviniani, VViclefi, aliarumque pestium venenis pestiferam suam sectam condiderit: tandem ut sententia & judicio Hungeri, Epicureismus nihil videatur esse aliud quàm imperfectus Lutheranismus: Lutheranismus verò haud aliud quàm perfectus Epicureismus, quæ impudentissima impudentissimi Suitæ vox, cùm non modò in solenni & frequenti absq; dubio studiosorum panegyri magno hiatu & verbis sesquipedalibus fuerit prolata, verumetiam post censuram perinde religiosi Socii Gregorii de Valentia in orbem Christianorum publicis typis emissa: operæ me facturum pretium existimavi, si in gratiam studiosæ juventutis, cujus bona pars fortassis has Strophas vidit & legit, contrà demonstrem, argumentum, quod pontificius hic monachus adversum nos de Philosophia & Theologia sumpsit, non nisi in ipsos Pontificios, eorundemque philosophicam Theologiam optimo jure quadrare. Ac proinde non Lutherum, sed Clerum Antichristi Romani ab Hungero fuisse delineatum. Cæterùm, ut solidam ejus rei vobis fidem faciam, non sequar vestigia Hungeri, ut sine omni discrimine universam Pontificiorum Theologiam ex Ethnicismo constare dicam. Hac enim ratione vel in ipso limine non minus ac monachus hic

soricis instar me proderem & totam orationem redderem suspectam. Verùm in eo versabitur hujus dissertationis meæ cardo, ut liquidò evincam, omnem Pontificiorum Theologiam, quatenus à nostra, hoc est, Lutherana & Augustanam Confessionem professa, recedit, vel ex variis Philosophorum, non Epicuri tantummodò, sed aliorum quoq; plurimorum placitis esse conflatam: vel κακοζηλίᾳ quadam legum Mosaicarum introductam: vel deniq; proprio arbitrio & authoritate humana κατ' ἐθελοθρησκείαν Romanorum Pontificum, præter & contra Dei verbum in Christi Ecclesiam esse invectam, stabilitamq;.

Quocirca primò de Paganismo, secundò de Pseudojudaismo, tertiò de pseudochristianismo Pontificiorum ex ipsarum rerum & cultus æstimatione, deinceps pro temporis ratione aliquid in medium sum allaturus, ita tamen, ut maxima orationis pars in primo absolvatur membro, quòd istud ad institutum nostrum potissimùm sit accommodatum. Vestras humanitates peramanter etiam atq; etiam rogatas cupio, ut auribus benevolis adesse mihi haud dedignemini.

Paganismum itaq; Pontificiorum, ut propter antiquitatem primo collocatum loco, principiò aggrediar; obscurum vobis nequaquam esse potest, quàm religiosè & sanctè persuasum velint omnibus, se de primo illo & summo religionis Christianæ capite, de sacrosanctæ inquam Trinitatis mysterio haud aliud statuere, quàm id, quod omnibus ætatibus Catholica ex Dei verbo statuit Ecclesia.

At interim quid faciunt? quàm verum dicunt? cùm ne & hîc quidem à Paganismo sibi caveãt, sed si usquam alibi vel hîc inprimis in eum impingant. Enimverò quemadmodum Ethnici non unum cum Dei Ecclesia Jehovam agnoscunt, sed πολυθεΐαν seu multitudinem Deorum vanissimè comminiscuntur, ut unum quidem summum Deum constituant, cui tamen infinita alia numina inferiora subjiciant, ob id, quod stultissimè opinentur, vel supremam illam summi numinis ac Dei majestatem sublimiorem esse, quàm ut res mortalium singulas curare, iisq; providentia sua vacare dignetur: vel saltem si maximè curæ sint illi res humanæ, indignum tamen esse, ut à tam miseris atq; infelicibus homunculis indesinenter tot precibus atq; supplicationibus fatigetur: inferiores autem Deos ceu numero plures, aditu faciliores esse, qui, ut apud summum Deum majore valeant authoritate, ita petita quoq; hominum celerius conficiant & impetrent.

Quid

Quid enim quæso aliud opinati sunt Platonici? quid Apuleius? quid Porphyrius? quæ alia gentilium θεοσοφία? Sic enim, referente Eusebio & Augustino, Platonici eodem prorsus modo inter Deum summum & homines, tum animas defunctorum, tum dæmonas mediatores constituebant. Verba Augustini ex lib. 8. de civitate Dei cap. 20. 21. 25. 26. de Æsculapio & Hermete Trismegisto nominatim adducerem, ni tempori & actui inserviendum mihi intelligerem. Pari prorsus ratione Pontificii, quanquam se summum quendam & unicum Iehovam nobiscum colere confiteriq; dicant, eidem tamen infinitam sanctorum hominum turbam ceu διαδόχους in locum gentilitiorum Deorum substituunt: ad quos etiam precationes suas dirigunt, ut ipsi ceu intermedii inter Deum & homines supplicationibus audiendis, non sine permagna unici mediatoris Christi contumelia destinati credantur.

Conferat enim aliquis Pontificiorum de veneratione Sanctorum doctrinam: intueatur ipsius Ecclesiæ Romanæ praxin, & liquidò animadvertet, omnia ea, quæ de mediationibus, suffragiis, patrociniis, meritis, ope, auxilioq; Sanctorum tradunt, defendunt, exercent, omnia, inquam, re & facto, mutatis tantummodò nominibus, ne latum quidem unguem à vana illa & stolida Platonicorum Philosophica Theologia discrepare. Substitue in locum Æsculapii Cosmam & Damianum, & habes Platonicam Pontificiorum orationem, ô medici piissimi, qui meritis clarissimi in cœlis refulgetis, à peste, clade corporum præservetis, & operum moribus ne langueamus, aut moriamur Spiritu, sed animæ ab obitu velociter surgamus & vivamus in gratia, sacra cœli palatia donec ingrediamur. Substituatur in locum Trismegisti beatissima virgo Maria, & erunt ex Rosario ipsius preces ejusmodi: ô virtutum vasculum, regina cœlorum, Christi receptaculum, salus anxiorum, tutum propugnaculum, salvatrix languidorum, audi conquerentium preces famulorum, & pro nobis miseris Deum deprecare. Nam quicquid petieris, vales impetrare. Summa nos necessitas te cogit rogare, quos in fluctu positos sævum pulsat mare. Quid? quòd totum Psalterium, non sine atroci unius omnipotentis Dei blasphemia, horrendæq; idolomaniæ crimine ad ejusdem virginis Mariæ invocationem sit transformatum.

Porrò quemadmodum Pagani pro multiplici Deorum varietate

alios cœlestes, alios aërios, alios terrestres, alios marinos, alios sylvestres faciebant, quemadmodum hac in parte post Ægyptios inprimis Græcorum maxima vanitas ac superstitio fuit notata, qui Mari Neptunum, Plutonem intimis terræ visceribus & cavernis, Jovem cœlo incluserunt, & rursum his singulis alios infinito numero adjunxerunt: Jovi Saturnum, Mercurium, Appollinem, Martem, Venerem, Dianam, Neptuno Nereum, quem ἀλκμᾶνα & Portum seu Portunum nominant, innumeram item Nympharum cohortem, quales fuêre Nereides, ποταμίδες, κρηνηΐδες, δρυάδες, ἁμαδρυάδες, & nescio quæ aliæ. Apud Romanos verò erant Dii majorum & minorum gentium, erant penates, Dii communes, Dii geniales, indigetes, patrii, tutelares, ac reliquum genus Faunorum, Sylvanorum, Satyrorum, Lemurum, adeò ut doctiss. Varro ultro 30000. commentitiorum numinum suo tempore notaverit: Atq; inter hos omnes provincias, regiones, civitates, familias, domos, elementa, fruges, semina, morbos, artes, opificia & nescio quæ alia distribuebant, de quibus omnium ferè poëtarum libri pleni atq; referti sunt: privatim etiam populi singuli gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortudine insignes (ut lacteum illud eloquentiæ flumen, Lactantius loquitur) seu fœminæ castitate mirabiles fuissent, summa veneratione colebant, ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum, Athenæ Minervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.

Lact. lib. 1. de falsf. relig.

Ita planè consimili ratione, Pontificios superioribus temporibus, regionibus penè singulis, civitatibus, familiis, domibus, hominibus, statibus, artibus, morbis, peculiarem aliquem Sanctum, patronum tutelarem atque auxiliatorem præfecisse, notius est ex publicis ipsorum scriptis, quàm ut res longa probatione indigeat. Germaniam tuebantur Martinus & Georgius Cataphractus: Romanorum territorium Petrus & Paulus: Hispanos Jacobus: Gallos Michaël & Dionysius: Helvetios Maria ad nigricantem Eremitarum sylvam: Ungaros Ludovicus, & altera Maria, quæ apud Aquisgranenses moratur. Polonos Stanislaus: Moscouitas Nicolaus: Brussos Albertus. Ex civitatibus Mediolanum defendebat Ambrosius: Coloniam Agripinam tres Magi ex oriente, si Diis placet, hucusq; satis tardè adventantes: Au-

tes: Augustam Huldericus: Solodurum Helvetiorum Ursus, & quis alios innumeros Quintinos, Quirinos, Osvvaldos, Gangolffos similesq; Sanctos posset enumerare? Studiosi amabant Gregorium & Catharinam: Pictores colebant Lucam: Jureconsulti venerabantur Junonem: Medici Cosmam & Damianum: Equites Gregorium: Sartores Gotmannum: Sutores Crispinum: Fabri Eulogium: Figuli Gotarum: Nautæ Nicolaum & Christophorum: Venatores Eustathium. Ad avertendam grandinem invocabantur Joannes & Paulus: contra incendia Agatha & Floreanus: contra rubiginem Jodocus: contra pestem Sebastianus & Rochus: contra febrim Petronella: contra venenum Joannes Euangelista & Benedictus: adversus dentium dolores Apollonia: contra oculorum vitia Otilia: contra calculum Liberius: contra ignem sacrum Antonius: Contracti implorabant VVolffgangum: Dæmoniaci Romanum: Epileptici Valentinum: Captivi Leonhardum: Puerperæ Margaretham: Meretrices (ut ne hæ quoq; curiæ Romanorum Pontificum deessent) Afram & Magdalenam, quemadmodum Romani olim Leænam, Faulam, Floram. Taceo innumera alia Deorum monstra, quæ vix per integrum anni circuitum à miseris illis Pontificiis recenseri potuerunt. Sic enim VVernerus VVestphalus historiæ istius author, quæ nomine Fasciculi temporum inscribitur, Isuardum quendam monachum jussu Caroli Magni omnes legendas, & actus Sanctorum in unum volumen collegisse commemorat, & factum esse, ut in singulos dies ultra trecenta festa Sanctorum concurrerint. Quod si verum est, ánnon infinito intervallo Pontificii gentiles relinquunt, cùm hi vix ultra 30000. Deorum, illi vel quadruplo majorem numerum recenseri potuerint.

Præterea, quemadmodum vetustas Ethnica per ἀποθέωσιν Poëticam in Divorum numerum referebat Semideos, Heroas & Cæsares, qui virtute & nominis gloria famam aliorum viderentur superare: ita Pontifices quoq; Romani pro immensa sua, quam fingunt sibi, potestate in album Sanctorum retulêre, quoscunq; Canone dignos ipsi pro arbitrio suo judicavissent. Testatum hoc faciunt narrationes de sancto Ludovico Franciæ rege, quem Papa Bonifacius ejus nominis octavus canonizabat, ipse interim minimè sanctus existens, de quo dicebatur publicè, quòd ad Papatum intrasset ut vulpes, vixisset ut Leo, mortuus fuisset ut canis. Testantur historiæ de sancto Henrico, Imperatoer

ratore & Bavariæ duce: de ſancto Bernhardo, marchione Badenſi: de S.Leopoldo Auſtriæ duce: de S. Brigitta Suetiæ regina, ut nunc prætercam maximum illum Paparum, Prælatorum, Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumq; Monachorum numerum, quem rhytmis expreſſum Faſciculi temporum author ſub Papa Joanne ejus nominis 22. percenſet.

Adhæc quemadmodum vetuſtas Ethnica non ſolùm majorum (quos vocabant) gentium Deos colebant, ſed eos etiam, quos in gradu longè inferiore collocandos arbitrabantur, quosq; nuſquam exiſtentes ex eventis tantùm ſibi fingere didicerant, adeò ut ne Deam Cloacinam quidem, Venerem calvam, Venerem armatam, Deam mutam, Cacam, Leænam, Faulam, Floram, Cuninam, immò Sterculium & Terminum præterirent: ita haud ſecus Pontificii tanquam minorum gentium adeò inglorios ignotosq; divos divasq;, Gregorium, Chriſtophorum, Jodocum, Catharinam, Otiliam invocare, ſingulisq; ſua tribuere encomia conſueverunt, ut poſt natos homines unquam iſtos vixiſſe, ne dicam præclari quicquam geſſiſſe, cultores eorum proprii ſolidè probare non poſſint. Erant nimirum obſcuri monachi, fratres ad ocium, papyrum & tempus perdendum nati, qui ex trivio arripientes occaſionem, neſcio qua ſingulari imbuti devotione, vel rapti Enthuſiaſmo, ſecundum quietem ejuſmodi fabulas impudentiſſimas & manibus penè palpabiles ſomniabant, pòſt, ceu ab ipſo Deo cælitus delapſas, ſuperſtitioſiſſimo populo pro auro videlicet carbones obtrudebant. Quod ſi vel ipſi Pontificii negare aut diſſimulare voluerint, obſtat Gratiani authoritas, qui diſtinct.15. diſertè notat, fuiſſe ſecundum antiquorum authoritatem ſingulari cautela prohibitum, ne tales de Sanctis legendæ coram populo percenſerentur, ſubjecta hac ratione, quòd eæ vel ab infidelibus, vel ab hæreticis, vel ab incertis authoribus ita conſcriptæ judicarentur, ut veræ fidei potius ſubſannatio, quàm confirmatio ſint futuræ.

Neq; ſatis eſt Pontificiis tantam quaſi minorum gentium Deorum turbam Pontifici & mediatori noſtro unico Chriſto adjunxiſſe: quin etiam in terris idola ſeu ſimulachra eorum lignea, argentea, æneaq; effingunt, paſſimq; in templis poſita, religiosè venerantur, colunt, adorant. Immò non effingunt tantùm, ſed & ornatu vario condecorant, chlamyde, peplo, veſtibusque variis amiciunt, haud ſecus

ac ſi vel

ac si vel ab æstu, vel frigore periculum ipsis immineret.

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca,
Qualibus in tenebris vitæ quantisq; periclis
Degitur hoc ævi quodcunq; est:

Lucret.lib.2.

Quis hæc ludibria non derideat, qui habet aliquid sanitatis? cùm videat homines velut mente captos ea seriò facere, quæ si quis faciat per lusum & jocum, minus sanus, imò ineptus esse videatur. Unde verò, quæso te, habent aut mutuati sunt Pontificii hanc impiam & stolidam vanitatem, nisi ab ipsis Ethnicis. Probaverit hoc, opinor, vel solus ille Dionysius senior Siciliæ rex, egregius simulachrorum contemptor & spoliator, qui, ut refert Valer. Max. lib. 1. cap. 2. ingressus Deorum templum detraxit Jovi Olympio magni ponderis amiculum aureum, quo eum tyrannus Hiero è manubiis Carthaginensium ornaverat, proq; detracto aureo, laneum ei injecit pallium, dicens: æstate grave esse amiculum aureũ, hyeme frigidum, laneum autem ad utrunq; anni tempus magis esse accõmodatum. Idem Epidauri Æsculapio barbam auream evulsit, affirmans, minimè decere, ut parens Apollo imberbis, filius Æsculapius barbatus conspiciatur. Et rursum, cùm videret simulachra porrectis manibus victorias aureas, pateras & coronas aureas tenere, eripuit illis, subjiciens, se oblata accipere, non auferre, immò perabsurdum fore, à quibus quotidiè bona petamus, ab iisdem ultrò porrigentibus nolle accipere. Unum tamen inter gentiles & Pontificios videtur interesse, videlicet quòd cùm pagani olim argento & auro idola sua ornarent, Pontificii nostri vix sordido & squalido panno Mariam suam circumvestiant, quippe quòd argentum & aurum in alios usus meliores convertere didicerint. Ac sanè quæ dixi & demonstravi hactenus de Pontificiorum πολυθεΐα, quanquam cum maxima Dei ignominia conjuncta sint, majora tamen & magis nefaria committere Pontificios, affirmare nullus dubito. Neq; enim suffecerit illis, tantam Deorum multitudinem cum Ethnicis introduxisse, jurant præterea, jurant inquam, per Sanctos demortuos, illisq; honorem soli Jehovæ debitum impertiunt, cùm tamen jurare sit nefas, nisi per eum, qui verè habeatur & existat creaturis omnibus, ne angelis quidem exceptis, major, imò juramentum deferri nulli possit, nisi in solidum eidem divinæ simul omniscientiæ & omnipotentiæ laus ascribatur. Quare cùm cultus invocationis, qui basis & fundamentum

Lact. li. 1. cap. 22.

ſalutis eſt, à Pontificiis in Paganiſmum converſus & transformatus ſit: quid obſtat quò minus Theologia Pontificia cum gentiliſmo hac quidem in parte reciprocetur ac convertatur? Dicat igitur nunc Albertus, utrum Pontificia, an Lutherana Theologia, Theoſophiæ Ethnicæ ſit ſimilior, in eo fidei capite, ubi vel ſumma cum Deo æterno eſt copulatio, vel ab eodem extrema disjunctio, & propter ſpiritualem fornicationem, ut Christiana pietas appellat, manifeſtum divortium,

Sed enim ut ad ſimilitudinem Platonicorum, Porphyrianorum, Græcorum, ac Romanorum, multitudinem Deorum, de qua hactenus diximus, introduxerunt: ita nominatim cum Epicuro etiam ex eodem fundamento propitiam Dei erga nos providentiam tollunt: dum non ad Dei ſolius curam, ſed & DIVORUM tutelam perinde nos ablegare ſolent. Cumq; pro πληροφορίᾳ fidei, & ſpe immotis Dei promiſſionibus ſubnixa, dubitationem de gratia Dei erga nos, deq; precum noſtrarum exauditione ſubſtituunt, quid aliud quæſo faciunt, quàm quod omnem conſolationem nobis eripere, Academicam verò ſeu pyrrhoniam ἐποχὴν perſuadere conantur. Proinde Alberte, ne puta injuriam tibi à me fieri, ſi inſolentiſſimas tuas ἐκφωνήσεις, quas paſſim in oratione tua ponis, in teipſum retorqueam: ſi inquam de te cõquerar, & alta voce exclamẽ: ô homines Epicureos, addo & Academicos impiiſſimos? Ecquidni enim Lutherum rectiſſimè de providentia divina docentem excuſem, te verò Alberte cum Monachis tuis accuſem, qui plenis buccis quotidie ingenti boatu in templis veſtris, privatim etiam in cubilibus veſtris, non ad curam Dei, non ad providentiam Dei, non ad promiſſiones præſentiæ Dei cõfugitis, ſed de cura, de cura inquam, & providẽtia Sanctorum demortuorum unicè ſolliciti atq; ſuſpenſi exiſtitis. Hinc illæ nefariæ veſtræ voces: Ave Maria, ſalus & conſolatrix vivorum & mortuorum, mecum ſis in omnibus tribulationibus, tentationibus, neceſſitatibus & anguſtiis meis, & maximè in hora mortis meæ, & impetra mihi omnium peccatorũ meorum veniam, & cœleſtis patriæ gloriam, ô peccatorum conſolatrix, infirmorum curatrix, errantium revocatrix, juſtorum confirmatrix, deſolatorum ſpes & auxiliatrix, atq; mea promptiſſima adjutrix & ſingulariſſima invocatrix, tibi Domina glorioſa commendo hodie & quotidie animam meam, ô beate Paule ora pro nobis, ô Petre beate ora pro nobis. Hæccine ſcripturarum ſacrarum de providentia divina ſententia eſt? An non hoc ipſum eſt, Deo providen-

videntiam ſuam detrahere, & cum creaturis communicare?

Sed tempus me jubet progredi. De peccato peccante, ſeu originario, & conſequenter de viribus humanis, vel libero hominis nondum renati arbitrio, quid aliud quæſo tradunt Pontificii, quàm id, quod philoſophi gentiles, quibus triſtiſſimus ille primorum parentum lapſus & horrenda imaginis Dei in homine deſtructio prorſus erant ignota, docent & produnt memoriæ?

Aquam luſtralem, quam vulgò Benedictam vocant, & qua non corporis ſordes, ſed animi & conſcientiæ vitia, ceu ſacro quodam februo purgari exiſtimant, unde petiverunt Pontificii? Ab Ethnicis profectò. Sic enim Romani, Paganiſmo adhuc florente, ad portam Capennam, aqua Mercurio ſacra aſpergere ſe invicem, & hoc modo à vitiis, potiſſimùm verò perjuriis, purgare ſe ſolebant. Eadem perfuſione Peleus Patroclum abluiſſe, Acaſtus Peleum à cæde fratris Phoci expiaſſe, Ægeus Medeam à cæde liberorum liberaſſe ſcribuntur. Eodem ritu Oreſtem expiatum eſſe à cæde matris Clytemneſtræ Pauſanias author eſt in Corinthiacis. Ac ſanè ut Pontificii, ita Ethnici quoq; nihil ſacrorum ſine corpore luſtrato attrectare ſolebant, ſed potius piaculum & nefas id eſſe putabant. Hinc Æneas apud Vergilium ceu multa cæde pollutus ad patrem Anchiſem:

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq; Penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde madentem
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et notus eſt Sarcaſmus Diogenis Cynici apud Laërtium lib. 6. Is enim cùm quendam videret religionis cauſſa fluvialibus undis ſe aſpergentem, ridebat hominem, dicens: ô infelix, an ignoras, quoniam, ut in grammatica erratis aſperſus, non abſolveris, ita nec vitæ criminibus evades liber: rectè nimirum inſaniam hominis notabat, qui aqua ſenſibili & elementari animi maculas purgari & elui opinabatur. Notum etiam eſt Valentiniani Imperatoris factum, qui nondum quidem Imperator, cùm aliquando unà cum Juliano templum Fortunæ ingreſſus eſſet, atq; ab æditruo aſperſus guttulam in Chlamyde purpurea vidiſſet, pugno percuſſit ædituum, hoc non purificare, ſed inquinare eſt, dicens. Tantò autem magis in Pontificiis reprehendendus eſt impius hic aquæ luſtralis abuſus, quòd ipſi Eccleſiæ titulum ſibi vendi-

cant, & ii videri volunt, qui cum universa Ecclesia Catholica de effusione pretiosi sanguinis Jesu Christi (qui solus ab omni emundat peccato) rectè & piè sentiant, cùm tamen id negent facto, quod verbis jam erant professi. Immò (quod pejus est) instar incantatorum lustralem hanc aquam peculiaribus quibusdam demurmurationibus consecrant, & inde divinam quandam intrinsecam virtutem atq; efficacitatem stultissimè ei affingunt.

Quid dicam de purgatorio? Bella videlicet fabula & digna suis authoribus. Sed unde eam Pontificii? Respondent ex Augustino & aliis nonnullis scriptoribus Ecclesiasticis? Verùm si quæras unde Augustinus & reliqui? Affirmant ex Platone, Homero, Vergilio. Proh Deûm atq; hominum fidem? Ergóne articulus fidei ex Platone, Ecclesiæ dogma, ex Vergilio & Homero extruetur? Quæ hæc Theologia philosophica est? Non miror jam amplius, Alberte, quòd adeò perstrinxeris Lutherum, cùm summum alioqui Philosophum Aristotelem Aristultelum appellasset, & ut tu verba ejus germanica adducis, der hohen Schulen Narrentreiber. Hæc enim propter te & similes Theologastros scripsit Lutherus, qui Paganismum à Christianismo non discernentes, βδελύγματα etiam illa Philosophorum in Dei verbum & ejus Ecclesiam contra omnem pietatem ingeritis, veram philosophiam à notha & spuria non discernitis, sed indiscriminatim sic ea abutimini, & antè vos abusi sunt majores vestri, ut ante pauca secula omnium scholarum vestrarum pulpita Theologica plus haberent spinarum Aristotelicarum, quàm sanæ & puræ doctrinæ ex verbo Dei petitæ, immò in omnibus penè disputationibus & cõtroversiis Theologicis dirimendis solus advocaretur judex Aristoteles.

Non igitur tantoperè mirandum, si propter hunc vestrum abusum Lutherus Aristotelem vocet Aristultelũ: cùm simili ratione etiam D. Tertullianus generatim philosophos paganos omnes, haud quaquam dubitaverit hæreticorum appellare Patriarchas. Sed hæc de purgatorii structura: modum etiam & rationem relevandarum animarum Pontificii à gentilibus sunt mutuati. Sic enim apud gentes receptum & publicè persuasum erat, animos mortuorum, viventium exequiis, inferiis & sacrificiis relevari & adjuvari, ut ex Stygiis paludibus & Cerberi latratibus protinus ad campos Elysios subvolent, ibiq; ad requiem & refrigerium deducantur: reliquorum verò animas, quibus

ejusdem

ejusdem suffragia à vivis haud præstentur, misere detineri cruciariq;. Eadem Pontificiorum est opinio, ritus iidem: nimirum quia φεῦ τὰ ἄλφιτα.

Ergò in hoc unico tandem laudandus erit mihi candor Ingolstadiensium monachorum, quòd publicis editis scriptis idipsum haud gravatim fuerint confessi, videlicet extare purgatorium, si non in Scriptura canonica, apud Homerum tamen in Ulyssea lib. α & γ: apud Verg. Æneid. 6. apud Ovid. 2. Fastorum: apud Aristotelem etiam uspiam: & tandem in Alcorano articulo 10. Quæ autem & quantæ hæ sint in Dei Ecclesia tenebræ, cordati Christiani etiam me non admonente ultrò perspiciunt.

Verùm Augiæ stabulum repurgandum mihi sumpsi. Itaq;, Auditores optimi, si paulò longius in prima illa parte cómoratus sum, rogo ut id non mihi, sed potius fœcunditati errorum Pontificiorum imputãdum esse existimetis. Strictim autem & breviter & quasi extremis digitis duntaxat attingam, quæ de Pseudojudaismo atq; Pseudochristianismo Pontificiorum deinceps dicenda restant. Quanquam verò omnia illa in jejunis mundi elementis, ut cum Paulo Apostolo loquar, & litera potius quàm Spiritu consistant: tamen ne hæc quidem Pontificii sine opinione necessitatis, cultus aut meriti asserere, sed sub interminatione Anathematis credenda conscientiis solent obtrudere atq; venditare.

Ut verò in populo Judaico unus quondam erat Sacerdos & Pontifex summus, qui quotannis in Sanctum Sanctorum ingrediens, pro se & populi ignorantia offerebat, & sic Christum ἀρχιποιμένα secundum ordinem Melchisedeci adumbrabat, ejusq; typum ad certum & definitum gerebat tempus: Ita Pontificii summ Oecumenicum & universalem habent Episcopum, quem Papam salutant, eumq; ceu Christi in terris Vicarium, plusquàm Aaronea potestate instructum falsissimè fingunt, adorant, exosculantur.

Rursum, ut multi erant Sacerdotes Levitici, gradu & ordine summo Sacerdote inferiores, quibus nunquam in Sanctum Sanctorum licebat ingredi, sed proprium erat munus in priori tabernaculo se continere, ibiq; pro distinctis & ordinatis à Deo ἱερατείας τὰς λατρείας ἐπιτελεῖν, ut loquitur Apostolus ad Hebr. cap. 9: ita Pontificii suos habent Sacrificulos seu Missificatores, qui ut ordine longè inferiores

sunt Papa, ita proprii sui officii ducunt, corpus Christi, si Diis placet, consecrare, idq; transsubstantiatum in arculas reponere, ac quibus lubet, adorandum proponere.

Præterea, ut in eodem populo veteri erat juge Sacrificium, quod singulis diebus ex instituto Dei peragi conveniebat: ita Pontificii ex umbræ hujus & similitudinis imagine, jam pridem suum habent Deum Maozim, Missam inquam, in qua, ut ipsi nugantur, quotidie incruentum corporis Christi transsubstantiati Sacrificium offerunt: neque offerunt tantùm, sed & expiatiorium statuunt pro peccatis tum vivorum tum mortuorum, immò quod iniquius est, & à Scripturæ veritate longè alienius, expiandi illam virtutem non à pretioso Christi sanguine, pro nobis semel in ara Crucis effuso, sed ab ipsius Missificatoris seu Sacrificuli ἐνεργείᾳ, hoc est, opere operato, ut ipsi loquuntur, dependêre existimant. Quo ipso nimirum tam injuriosi sunt atq; blasphemi in Christi mediatoris tùm officium tum personam, ut pectori Christiano cogitatu nihil tam sit horrendum, atque monstrosa immò crudelis hæc furiosorum monachorum sacrificandi dementia.

Porrò conferte ipsimet altaria Judaici populi, candelas fumigia, vestitus sacerdotalis splendorem, reliquumq; Sacerdotii Levitici apparatum, cum Pontificiorum altaribus, candelis, suffitibus, infularum & reliquorum vestimentorum luxurie: conferte annum Jubilæum, qui quinquagesimo quoquo anno clangore buccinæ in populo Judaico significabatur, cum anno Jubilæo Bonifacii octavi, qui in centesimum annum collocârat. Clementis sexti, qui in quinquagesimum: Gregorii undecimi, qui in 30. Sixti quarti, qui in 25. contraxerat: & evadet meridiana luce clarius, ne hic quidem Pontificios inficias ire posse, quin omnia illa sine Dei mandato per κακοζηλίαν duntaxat ex veteri lege sint mutuati.

Ad ultimum igitur membrum accingor, in quo tametsi plurima Pseudochristianismi documenta in medium possem afferre, studio tamen brevitatis attingam nonnulla duntaxat, ex quibus de reliquis simile fiat judicium. Sunt igitur propriè sic appellati Papismi emblemata hæc: Hominum demortuorum invocatio idololatrica: Transsubstantiatio panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi: Incruentum Missæ sacrificium, & illud quidem expiatorium cùm pro vivorum tum demortuorum peccatis: Cælibatus Sacerdotum: Usus

unius

unius speciei in Cœna Dominica: Monachorum varii ordines, quorum alii alios crudelissimè sunt insectati: prohibitio Conjugii, ab Encratitis & Tatiano, unà cum delectu ciborum, & aliis dæmoniorũ doctrinis petita: conspurcatio Baptismi, quæ fit sputo, sale, & aliis sordibus aspersis: Baptismus campanarum: salis & aliarum creaturarum exorcisatio: deniq; universalis illa Romani Pontificis potestas, qua pleno ore & calamo assentatores & monachi ipsius nugantur: quòd Papa Romanus omnia jura habeat in scrinio pectoris sui, etiamsi idiota sit & immemor sui nominis: quòd Papa idem habeat Consistorium cum Deo, & idem Tribunal cum Christo: quòd Papæ sit tradita omnis potestas in cœlo & in terra: quòd à Papa ne ad Deum quidem appellare liceat: quòd Papa possit aliquid de nihilo facere: quòd Papa major sit omni alia creatura, & contra epistolas Pauli possit statuere: quòd Papa sit magnus Sacerdos & summus Pontifex, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum: in primatu Abel: gubernatione Arca Noe: patriarchatu Abraham: ordine Melchisedec: dignitate Aaron: authoritate Moses: judicatu Samuel: zelo Helias: mansuetudine David: potestate Petrus: unctione Christus, & similia innumera.

At verò quis unquam hominum, auditores humaniss. inde à mundi exordio tot mille retro seculis, tàm vecors, tàm audax, tàm insanus, tàm blasphemus in Deum, angelos & homines fuit, ut se talem non hominem, sed hominis monstrum confingi atq; appellari pateretur. Ex quibus omnibus concludi aliud potest nihil, quàm Papam Romanum esse Antichristum: Antichristum inquam illum magnum, de quo nominatim apud Paulum 2. Thessal. 2. Dan. 12. Apoc. 17. & aliis scripturæ locis ex professo differitur.

Quare ut qualicunq; huic dissertationi meæ finem imponam, cùm hæc omnia ita se habeant, ut hactenus est commemoratum, quis non vel manibus palpet, argumentum, quod initiò ALBERTUS HUNGERUS adversus nostras Ecclesias sibi sumpserat, validissimè adversus Ecclesiam pontificiam militare: quis non vel cæcus videat Theologiam Romanam superstitioni Ethnicæ adeò esse consimilem, ut ovum ovo vix sit similius: immò non similem modò, sed & propter reliquos in medium productos errores, quos partim sub Pseudojudaismo, partim sub Pseudochristianismo comprehendimus, longè pejorem deterioremq;. Deum æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi ex

sti ex toto pectore oro, ut ipse in lucis veritate diutissimè nos conservet, ab Epicurea verò securitate & pontificiis tenebris nos custodiat ac tueatur. Dixi.

Oratio

DE ASTROLOGORUM PROGNOsticis; & quæ illorum certitudo cum sacris literis conveniens?

DUo omninò virtutis στοιχεῖα seu elementa sunt, teste Plutarcho in aureolo suo, quem de puerorum institutione scripsit, libello, Magnifice Dn. Prorector, idemq; Vicecancellarie amplissime, Reverendi, clarissimi, cõsultissimi, omniq; doctrinarũ atq; politioris literaturæ genere excultissimi viri, Doctores & Professores, tuq; studiosæ juventutis flos lectissime, hospites item gratiosi: duo inquam secundum Plutarchum virtutis στοιχεῖα seu elementa sunt, quibus tum civilis tum literariæ Reipub. corpus ceu nervis quibusdam validissimis colligatum, sartum tectumq; conservatur, spes videlicet honoris & metus pœnæ. Altero nimirum ingenia liberaliora, quæ non solùm naturæ quodam impetu ad virtutem feruntur, verum etiam disciplinæ quibusdam institutis & exercitationis industria ad eandem assuefieri solent, tantopere excitantur delectanturq;, ut stadium virtutis semel ingressi, deinceps honorum præmiis sive βραβείοις propositis, maxima cum animi voluptate atq; alacritate decurrant, nullumq; non laborem tantisper desudent, dum ad optatæ metæ terminum fructusque pulcherrimi percipiendi gloriam perveniant: altero ingenia tardiora, humiliora, segniora, & quæ ad petulantiam potius exercendam quàm virtutis pulchritudinem contemplandam amandamq; procliviora sunt, ita retunduntur cohercenturq;, ut si non ipsa uberrimos virtutis fructus negligentia quadam sua percipere aut assequi valeant, saltem impediantur ne aliis sint impedimento, eosq; in medio curriculo supplantent, aliáve nequitiæ suæ ratione & arte remorentur. Verumenimverò relictis posterioris generis fucis, de priori, vivum in conspectum vestrum exemplar producere nobis est animus. Conspicitis

ctitis enim in medium productos honestos atq; eruditos viros & adolescentes quindecim, qui in humaniore philosophia, adeoq; in omni liberalioris disciplinæ genere eam navarunt operam, ut cùm superioribus diebus sapienti philosophorum Collegio, ejusdemque examini ultrò se subjecissent, profectus ipsorum eum ad modum fuerit exploratus, ut non solùm in artibus, quas προπαιδείας vocat Plato, hoc est, in Grāmaticis, Rhetoricis, Dialecticis, Arithmeticis, Geometricis, studium & industriam suam probarent, verùm etiam ad interrogata ex media παιδείᾳ seu philosophia sublimiori petita, ad Physica inquam, Astronomica, Optica, Psychologica, Ethica, Politica, & id genus cōsimilia, dextrè, feliciter & abundè responderent, ideoq; universæ Facultati philosophicæ haud obscurè testatum facerent, se fore dignos, qui tandem ob insignem illum in philosophico curriculo extantlatum laborem verè etiam philosophico βραβείῳ & ornamento condecorentur, summaq; in philosophia laurea coronentur, & magistri liberalium artium publicè proclamentur atq; renūcientur. Quam rem cùm hodierna luce ex decreto prædicti Collegii in augustissima vestrûm omnium præsentia pro virili nostra expedituri, ipsosq; candidatos voti sui jādudum concepti compotes reddituri simus: & verò laudabili consuetudine in illustrem hanc Academiam introductum sit, ut in Panegyricis hujusmodi congressibus propter majorem actuum solennitatem præfationis loco Oratiuncula aliqua à Promotore habeatur, ego quoq; ut mori huic obtemperem, neq; ἀνίπτοις quod dicitur, χερσὶν irruisse videar, detrectare me nihil debere aut posse fateor. Cæterùm cogitanti, atq; ἄνω καὶ κάτω deliberanti mihi, quid potissimùm in medium adferrem, quod & à professione mea non planè alienum, & actu hoc philosophico dignum existimari posset, tandem in mentem venit de prædictionibus Astrologicis, seu ut clarius dicā, de προγνωστικῷ δὴ ἀστρολογίας sermonem instituere, cùm animadverterem nimirum, in diversas partes eruditorum tum Theologorum tum Physicorum Astronomorum sententias trahi, neque convenire satis, quæ quantæve vires astris attribuendæ, & quid ex positu eorum atq; conspectu mutuo de hominum felicitate seu infelicitate colligendum divinandúmve videatur. Nonnullos enim reperire est, qui sint in ea sententia, ut existiment, nullam planè vim seu δύναμιν in hæc sublunaria inferiora vel fixis vel errantibus stellis concessam esse, adeoque opificem Deum

Opt. Max. pulcherrimo huic mundi theatro lucidiſſima illa corpora ornatus duntaxat cauſſa addidiſſe, vel ſaltem ſi aliquis illorum uſus ſit, eum in temporum articulis diſcriminandis potiſſimum conſiſtere. Alii contrà tantas tamq; ſuperſtitioſas & anxias vires & ἐνεργείας aſtris aſcribunt, ut penè quicquid hic orbis habeat dominio ſiderum parére falsò confingant, ideoq; ſeu publicè ſeu privatim, ſeu domi ſeu foris ſuſcipere quicquam vetent, niſi inſpecto ac perquiſito cœlo, ex quo ceu quadam fatalium legum tabula de eventibus & actionibus omninò omnibus pronuncient, adeoq; leviſſimas ſimul & graviſſimas curas ſuas ad præſcriptum cœleſtium illorum edictorum unicè dirigant, examinent, moderentur, inſtituant. Ne itaq; à veritatis tramite aberrantes vel ad defectum vel ad exceſſum longius deflectamus, tutiſſimũ utiq; fuerit, ut à dextris & ſiniſtris, ſcopulis relictis, medium quoddam iter ingrediamur, & ſententiam eligamus eam, quæ certiſſimis ſubnixa demonſtrationibus veritatis normam quàmproximè ſequatur & obſervet, à falſitate verò prædictarum opinionum longiſſimè recedat, abhorreat, removeatur. Ac ut propoſiti iſtius argumenti ſummam tantò dilucidius vobis ob oculos ponere queam, neq; ſine certis quibuſdam carceribus & metis hæc mea vagetur oratio, duobus potiſſimùm inſtrumentis ad eam rem conficiendam utar, Apodictico videlicet & ἐλεγκτικῷ. Apodictico quidem per diſſertationem κατασκευαστικὴν veriſſimam prædictionum Aſtrologicarum ſententiam demonſtrare vobis conabor: ἐλεγκτικῷ verò κατ᾽ ἀνασκευὴν contrarias, prophanas & abſurdas de iiſdem opiniones refellam & confutabo. Veſtras interim humanitates amanter & officioſè rogo, ut me ad exiguum temporis ſpatium de re cùm jucunda tum utili differentem benevolè audire ne gravemini.

Principiò igitur ut ad rem ipſam deſcendam, neminem ex vobis ignorare arbitror, conſtituta jam olim fuiſſe ex corporum cœleſtium conſideratione duo diſtincta doctrinarum genera, Aſtronomiam alteram, alteram Aſtrologiam. Illa mirandorum motuum leges varietatemque deſcribit, metitur intervalla & magnitudines tum ſtellarum tùm orbium quibus ſtellæ inhærent: hæc vires & effectiones aſtrorum conſiderat, & quid mutationum in mundo elementari ex motu poſituq; corporum illorum, radiorum item conjectu vibratuq; diverſo atq; inter ſeſe commixtione colligi queat, ſolerti conjectura, experientia

tientia longa constantiq; edocta, ratiocinatur ac prædivinat: illa ἀπὸ τῶν φαινομένων seu ab iis quæ sub aspectum veniunt, exordium ducit, & sensuum atq; rationis beneficio, organis certis adhibitis, mirabilem universæ circumvolutionis harmoniam, æqualitatem atq; convenientiam scrutatur, & theoricarum ὑποθέσεων accommodatione, Geometricis demonstrationibus, & numeris Arithmeticis absolvitur, qua de caussa certissima semper omnium consensu est habita: hæc ab eruditæ experientiæ argumentis & documentis ordiens, veræ physiologiæ exemplo & modo, à posteriori validissimas astrorum ἐνεργείας colligit, & quantum infirmitas retusæ aciei mentis humanæ patitur, in hisce elementaribus corporibus caussas mutationum, δυνάμεων & ἀδυναμίας, συμπαθείας item & qua lege devincta cœlestibus inferiora cohæreant investigat, & ita deinceps paulatim progrediendo intelligit, nec temerè nec ociosi ornatus caussâ, tàm splendida, tàm elegantia, tàm pulchra tantæ molis & luminis corpora, à Deo Opt. Max. architecto hujus systematis sapientissimo condita & fabrefacta fuisse. Etsi itaq; propter principia manifestiora libenter Astronomicæ artis majorem quàm Astrologiæ, certitudinem & evidentiam esse fatemur, non tamen idcirco damus, etiam prædictiones ex Astrologia petitas, omni demonstratione, fide & authoritate carere. Enimverò cùm duo secundum principes philosophorum sint demonstrationum genera, alterum τοῦ ὅτι, alterum τοῦ διότι, utiq; manifestum fuerit, quod si alterutrum horum τῷ προγνωστικῷ δι' ἀστρολογίας conveniat, dignitate & authoritate sua spoliari nequaquam debeat. Detur ergo pauciores habere prognosticum hoc demonstrationes τοῦ διότι physicas: attamen propterea nondũ existimandũ fuerit, destitui & altero genere ἀποδείξεων τοῦ ὅτι, quandoquidem ostendi manifestissimè potest, quòd quemadmodum in seminibus inest vis earum rerum quæ ex iisdem progignuntur, ita in caussis cœlestibus abscondantur vires effectrices mutationum in elementari natura, quas animadvertũt & intelligunt ii, qui cursum & historiam rerum, eventorumq; consequentiam à multis seculis notatam penitius introspiciunt, considerant atq; expendunt. Quòd ut magis perspicuum & veritati consentaneum evadat, agite, perpetuæ experientiæ argumentis in medium productis, idipsum declaremus & convincamus.

Primò igitur quis est ex omni hominum numero, qui non quotidie suis cernat oculis, Solis circuitu, accessu recessuq; gratissimas &

naturæ maximè necessarias temporum vices, hyemis, veris, æstatis, autumni, dierum item & noctium effici, variariq; pro ipsius ad terram habitudine & à punctis verticalibus distantia? quis non intelligat, vi Solis ejusdem fieri, ut pro ratione stellarum coorientiũ & ad medium cœli culmen properantium, vel cum eodem ad occasum descendentium, aër nunc turbetur & obnubiletur, nunc appareat serenus, nunc incalescat plus nimio, aut contrà refrigeretur, humectetur, aliterque atq; aliter varietur & immutetur?

Quis non fateatur, vi Solis fieri, ut zonarum, quas vocant Mathematici Geographi, alia sit torrida, quæ perpetuò præ nimio calore deuratur & æstuet, alia contrà sit frigida, quæ nivibus & glacie rigeat, squaleatq; illuvie & situ, alia deniq; sit temperata, quæ vices utrasq; sustineat, prout videlicet ad alterutrum limitum extremorum vergat propius, & versus Aquilonem quidem sit frigidior, versus iter Solare calidior, in medio temperatior?

Quis non vel manibus palpet, vi Solis fieri, ut elementa frigore hyberno coacta quasi & addensata, calore veris tepidiore solvantur rursus & diffundantur, aër rarescat & fiat subtilior, aquæ liquescant & diffluant, terra aperiatur, & humores vi frigoris conclusos iterum exudet, germina & plantas producat, quin ipsa animantium corpora vegetiora, & ad liberiorem motum promptiora reddantur? De Luna quid dicam, quæ ut terris est vicinior, ita magis notæ & evidentiores ejus sunt effectiones. Haud ignorant rustici, crescente Luna, humiditates quoq; in plantis & animantibus crescere, easq; lunam movere, & largius affundere corporibus, fulgente orbe pleno, vigere, interlunio arére, decrescente deniq; decrescere, imminui & quasi resorberi. Hæc cùm quotidiana experientia docuisset agricolas, hortulanos, fabros lignarios, & id genus alios mechanicarum artium magistros, aptissimè utiq; & convenientissimè tempora sationum, insertionum, incubationis avium domesticarum, sectionis lignorum, & plurium aliarum rerum consimilium distribuerunt.

Consulantur & nautæ de viribus atque effectionibus Lunæ, & absq; dubio uno ore affirmabunt, exoriente Luna, supráq; horoscopum seu mundum nostrum conscendente, maria ceu impulsa exæstuare atq; intumescere, contrà decidente & infra horizontem decumbente Luna, subsidere rursus & conquiescere: affirmabunt præterea

tempo-

tempore pleniluniorum & interluniorum, cùm Luna Soli vel subjicitur vel opponitur, eosdem maris æstus ternis ante & post totidem diebus intendi atq; incitari vehementius, contrà languescere & enervari, quando Lunæ φάσεις appareant dimidiatæ.

Eandem aquarum commotionem fatebuntur & accolæ insigniorum fluminũ non ita longè à locis maritimis distantes, quod scilicet & ipsi maris æstuãtis impetum ad octodecim & plura milliaria germanica deprehendant, quando ad maris accessum flumina sua regurgitari, augescere atq; effluere, & rursum ad ejusdem maris reciprocationem seu recessum eadem diminui, atq; intra alveos suos relabi conspiciunt, cujus rei Hamburgenses, Antuerpiani, aliiq; quàmplurimi ad consimilia loca habitantes testimonium dicent amplissimum notissimumque. Hujus certè exæstuationis ratio tametsi obscurior fortaßè cuipiã videri possit, tamen in Sole Lunaq;, potissimùm verò Luna, caussam ejus positam esse dubium nullum est.

Verumenimverò, quanquam prædictorum luminarium Solis & Lunæ tùm effectiones tùm significationes sunt clariores atq; manifestiores, eò quòd is nativæ lucis copia, fulgore & efficacia reliquas stellas universas aut moderetur, aut extimulet aut obtundat, hæc verò ut proxima terræ est, ita superiorum stellarum lumen quasi exceptum deinceps acervatim in terras demittat: tamen & cæterarum vim magnam esse, vel unica Solis per Zodiacum annua revolutio abundè contestari potest. Est enim illustre mirandę illius providentiæ divinæ testimonium in hoc ipso Solis itinere. Nam cum obliquo Solem circuitu oporteret quatuor anni cardines distinguere, singulisq; anni partibus convenientem excitare auram, nec verò temperiei istius varietatem sua vi propria solus efficere Sol posset, sapientissimus systematis hujus architectus sapientissimè in utrumq; Zodiaci latus diversarum naturarum stellas ordine pulcherrimo disposuit, ut ad accessum Solis vibratæ & excitatæ radiis ejusdem, suam quoq; præstarent operam, mutuumq; auxilium conferrent in temperanda atq; efficienda vicissitudine conveniente. Ita posteaquam superioribus diebus Capricorni & Aquarii signa perlustraverat Sol, ibidemque frigidam cœli constitutionem squalidam & inimicam nascentibus attulerat, nunc paulatim in piscium asterismo progrediens, ubi trigono aspectu sagittarii signum irradiat, quæ ambo signa humidiora & natura flatuosa sunt,

cum propter directiorem in subjectas terras radiorum reflexionem, tum quoque propter dodecatemorion in quo versatur & signorum coorientium Pegasi, Persei, Andromedæ asterismos, teporem afflabit aëri mitiorem atq; blandiorem, & fusis qui constiterant humoribus glacie nivibusq; resolutis, terra laxata & liquoribus pluviisve rigata, crebriores eliciet blandorum Favoniorum flatus, iisq; terram aptissime & convenientissimè vegetabit atq; fœcundabit. Ita similiter de reliquis Zodiaci partibus judicandum, ut quò propius Sol ad punctum nostrum verticale redeat, eò fortius quidem propter directiorem reflexionem radiorum, terram premat atq; urgeat, sed tamen ne depastis noxiis humoribus, continuis caloribus & flatibus arefacta atque exiccata terra, plãtas & semina destituat, adeoq; flaccescere faciat, utiq; & Plejadum Hyadumq; in Tauro, à septentrione hædorum, à meridie vicini Orionis asterismi, à radiis Solis extimulati, suas quoq; interponunt & exerunt vires, & cum sint sidera naturâ turbulenta & pluviosa exuscitant Austrinos & humidos flatus, itidemque continuis pluviis enatam segetem aliquot dierum spatio, gratioso liquore rigant. Ita in geminis excitatur calor temperatus & fœcũdus. In cancro ubi humore rursus opus est, canceri pluviosis stellis excitantur pluviæ. In leone, sidere urente, denuò excitatur calor, isq; intensior quàm unquam in cancro (ubi tamen Sol vertici nostro fuerat propinquissimus) urere solebat, idq; propter nobiles utriusq; Caniculæ asterismos, qui & vulgò ita noti sunt, ut dies illi calidissimi caniculares appellentur, & inprimis vitibus nonnunquam propter nimium ardorem nocere soleant, dum iisdem ceu quodam uredinis carbone malum illud infligitur, quod carbunculum vocant, unde & canicula altera ut decretorium uvis sidus carbunculare vocatum est. Simili ratione de reliquis Zodiaci aliorumq; coorientium asterismorum stellis pronunciare possem, nisi & temporis aliqua mihi habenda esset ratio, & vos cætera ultrò facillimè animadversuros existimarem.

De Luna quid dicam? quæ certè vices consimiles menstruo suo per Zodiacum ambitu parit. In tauro vis ejus & ἐνέργεια tanta est, ut nisi fortissimæ validissimæque caussæ impediant, efficacissimè educat, cogat ac denset nubes, indeq; copiosè pluvias eliciat aquas. Quàm variè quamque efficaciter terrena hæc afficiat omnia, dum subinde per paulò antè dictum Zodiacum seu signiferum mutatis sedibus

& locis,

& locis, nunc in hos nunc in alios reliquorum Planetarum positus sive aspectus incurrit, vel sola dierum criticorum ratio evidenter arguere potest. Etsi enim ab eruditis & industriis medicis semper quæsita ratio fuit, qui fiat, quòd ægrotus in morbis acutis septimo quoquo die tam subitaneas & planè insperatas morbi sui conversiones sentiat, ut vel à morbo liberatus evadat salvus & integer, vel planè eodem obrutus vitam cum morte mutare cogatur: quî fiat item quòd quarto ante septimum die quasi prænuncio quodam ejusdem conversionis conditionem quodammodo prædivinare liceat: tamen unanimi præstantissimorum medicorum consensu, duce & magistra experientia, in Lunam ejusq; motum, & non aliò verissimam caussam referri debere fatendum est.

Enimverò, cùm septimo quovis die ad illud signum deferatur Luna, quod est adversum & oppositum ei ex quo nascente & corpus ægri invadente morbo vires & efficacitatem suam exerebat, utiq; conjectu facilè est, quòd si tum quoq; adversetur morbo, præsertim verò accedente & aliorum insignium Planetarum robore & suffragio, necesse omninò sit naturam & temperamentum ægri contra morbum efficacissimè atq; validissimè pugnare, eumq; potēter depellere ac profligare: econtrà si in signo adverso cum morbo consentiat, iterumq; aliorum Planetarum adipiscatur suffragia, conspirare eam planè in perniciem ægri, adeoq; morbum acuere & exasperare, donec debilitatis & fractis viribus omnibus, æger cum morte luctetur, & superatus tandem occumbat: Sin verò luctanti naturæ cum morbo aliquo suum præstet auxilium, quanquam id languidum, consentaneum profectò est, ægrotum si non omni, attamen magna morbi parte liberari, ut temporis progressu magis ac magis convalescere & ad sanitatem redire incipiat. Par esto quarti diei septimi prænunciatoris judicium. Porrò quid de reliquorum Planetarum, Saturni, Martis, Jovis, Veneris, Mercurii viribus & efficacitate dicam? quorum virtus tametsi non ita ut duorum magnorum luminarium, colonis & nautis nota sit, tamen vel mediocriter eruditis & horum effectus ignoti esse non possunt. Certissimum enim est dependere penè vim omnem superiorum stellarum in firmamento hærentium ex diverso positu, configuratione & aspectu inferiorum horum corporum, quæ quia terris viciniora & propinquiora sunt, lumen à superioribus stellis inerrantibus

demis-

demissū excipiunt,&nunc juvant,promovēt,augent,intendunt,nunc reprimunt, compescunt, hebetant atq; retorquent conatus illarum, prout nimirum in signis vel similibus vel dissimilibus consistunt,&radiis vel faustis atq; felicibus se mutuò complectuntur,vel contrà minacibus hostilibusq; feriunt, lacessunt atq; infestant. Hac ratione sæpenumerò tam fortiter,tam efficaciter&validè in hæc inferiora influunt, ut non solùm elementa, plantæ, corpora animantium,& id genus alia virtutem illarum sentiant,verùm etiam integra regna, Respub. & totæ gentes evidentissimè eam experiantur. Compertum est aëra fervescere,aquam tepescere, germina & alia terræ nata flaccescere,crispari arborum folia, æstuare & arére animantium corpora, Planetis calidioribus, sub signis octavæ sphæræ fervidis versantibus ac decurrentibus. Similiter compertum est ventos irruere longè majore cum vi &impetu,Planetis flatuosis sub signis Zodiaci flatuosis consistentibus. Deniq; compertum est turgescere flumina & alveos suos exundare, decidere item pluribus diebus magnam pluviarum copiam, aut etiam cum impetu affatim confertimq; ruere, Planetis humidioribus, humidiora seu aquea Zodiaci signa perambulantibus,aut radiorum suorum vibratu pulsantibus.

Hæc tam evidentia,plana & perspicua sunt, ut qui ea velit negare,Solem in mundo negare velle videatur.

Quid dicam de magnorum illorum luminarium Eclipsibus? ánne harum effectiones & significata inficiabimur? ánne quis hodie tam potest esse historiarum rudis,quin cogatur fateri,si saltem à paucis annis temporum historiam repetat, secutas eas esse plerunq; magnas calamitates,damna, gravamina, mutationes? Taceo enim jam venerandam vetustatem,quæ quoties ejusmodi Solis vel Lunæ deliquia oculis suis conspicata est,toties majorem in modum conterrita,& ceu tonitru quodam perculsa expavit atq; contremuit? Repetatur vix quadraginta & aliquot annorum memoria,& evadet manifestum,quid ea de re judicandum pronunciandumq; videatur. Anno 1540, quantos æstus, quamq; diu flagrantes incendit Solis sub ariete deliquium? Quos motus in hac ipsa charissima patria nostra Germania commovit, cùm hæc Solis, tum altero anno pòst Lunæ Eclipsis? quæ dissidia, quæ bella, quas clades, quæ pericula nocumentaq; frumento & fructibus crearunt deliquia utriusq; luminis anni quadragesimi quarti? quas

quas quæſo inundationes concitavit Lunæ Eclipſis anno quinquageſimo, cum Luna quidem Februario menſe in terræ umbram devoluta obſuſcaretur, Sol verò cum Venere atq; Mercurio ὁμοδρόμοις & ſatellitibus ſuis verſaretur in piſcium ſidere, & hos omnes ex Cancri ſigno Mars triquetro feriret radio? cùm inquam tanta vi & copia longè lateq; fluviorum alvei effunderentur, ut vicina loca quæq; aquis opplerent, nec intra paucorum dierum ſpatium defluerent & ſubſiderent rurſum, ſed penè duos integros conſiſterent menſes? Enumerarem & alias plures ex artificum libris Eclipſes, ni in re manifeſta & evidenti ſupervacaneum putarem laborare, & vos omnes mihi aſſentiri exiſtimarem, nullas unquam ſine inſigni aliquo effectu præteriiſſe. Sed objiciat aliquis fortaſſe, Eclipſes ſecundum ordinem naturæ & ex motus neceſſitate fieri, quî ergo portenderint aliquid infauſtarum effectionum? Sanè fatendum eſt, minimeq; negandum, quòd ſi ex priori demonſtrationis genere τοῦ διότι videlicet de effectionibus & ſignificationibus nobis agendum eſſet, oſtendi eas non poſſe, interim poſterius τοῦ ὅτι conſtanter retinemus, freti eruditæ & veræ experientiæ argumento, quo longa obſervatione eventuum ad Eclipſes conſecutorum deprehenſum eſt, quæ damna, quaſque clades, quibus gentibus, quo poſitu, quáve habitudine ad alia ſidera tum errantia tum fixa minitari atque importare ſoleant. Neq; nobis dubium ullum eſſe poteſt, quin Deus ter Opt. Max. in prima Sancti voluminis ſui pagina ad hæc ipſa deliquia potiſſimùm reſpexerit, quando de luminaribus illis pulcherrimis pronunciavit, non ſolùm in diſtinctionem temporum, ſed & in ſigna hominibus illa futura. Enimverò ſi ſapientiſſimus ille totius ſyſtematis hujus architectus vel Lunam vel Solem planè voluiſſet eſſe ἄσημον, quidni utriuſq; luminis curſum eò dirigere potuiſſet, ut ne quid tale accidiſſet unquam? Addo quod & Chriſtus ipſemet ſacroſancto ſuo ore vaticinatus ſit de virtutibus cœlorum ſub ultima potiſſimùm tempora movendis, quibus & crebriora Solis & Lunæ deliquia, & tetriores Planetarum fœdioreſq; conjunctiones & aſpectus denotare voluiſſe, veritati quàmmaximè eſt conſentaneum. Atqui proh dolor ita

longè majoribus gravioribusq; pœnis premamur, quàm misericordissimus pater cœlestis nobis immittit.

Hæc igitur omnia cum ita se habeant, quemadmodum copiosè hactenus demonstratum est, utiq; colligere jam promptum fuerit, nec nullam nec exiguam stellarum tum fixarum tum errantium in hæc sublunaria inferiora efficacitatem esse, sed eam quàm maximam, validissimam atq; potentissimam. Sed ais, concesserim tibi quidem generalem aliquam stellarum influentiam, quid verò hæc ad speciales illas Astrologorum prædictiones, quibus nunc uni alicui civitati aut regioni, nunc certo alicui capiti & magnati, immò ex Genethliaco prognostico singulis hominum individuis vel fausta vel infelicia ominantur atq; prænunciare conantur? Equidem si verum fateri liber, agnòscenda hic erit maxima aciei mentis humanæ infirmitas, & hac in parte conjectandi prudentiam summam adhibendam esse putamus, cùm prædictionum illarum certitudo non pariter sit manifesta & evidens, sed planè dissimilis, & multis obscurissimis eventuum varietatibus involuta.

Verumenimverò, cum ea de re quid quantumq; particularibus etiam illis prædictionibus sine piaculo & falsitate ascribi queat, longè commodius in posteriori orationis nostræ parte dici posse videatur, agite ad eandem pertractandam accingamur, & ἐλεγκτικῷ instrumento contemptores prognostici hujus breviter & concinnè, nervosè tamen redarguamus ac refutemus. Occurrunt autem duo illorum genera, ut initio quoque præfatus sum, quorum hi astris omnem ἐνέργειαν atq; efficacitatem denegant, adeoq; in defectu peccant, illi immodicè & plusquam oportebat, neglectis caussis tum superioribus tum intermediis quoq; eorum vim exaggerant atq; extollunt. Utrique sua tela & argumenta adversus nos dirigunt, & primum quidem genus objicit, inniti prognosticon hoc levibus tantummodò conjecturis adeoque carére demonstrationibus, itaq; authoritatem atq; certitudinem ejus planè nullam esse. Verum existimo ad hanc objectionem ex superioribus facilimè responderi posse, cùm satis liquidò ostensum sit, experientiæ perpetuæ testimonio, ex eventibus similibus similium caussarum longo tempore collectis, nequaquam posterius demonstrationis genus, quod ab ἐπαγωγῇ seu πείρᾳ desumitur, prædictionibus hisce deesse. Sed instant, quomodo potest πεῖρα habere locum in tanta effectuum va-

um varietate atque incertitudine? Quomodo poteſt certi aliquid definiri, cùm tanta caligine mentes noſtræ laborent, ut ſæpenumero vix animadvertamus & ſentiamus ea quæ ante pedes & oculos noſtros nobis obverſantur, quantò minus ergo ſublimium illorum corporum vires exactè comprehendemus, quæ à longinquo quaſi & pene lippientibus oculis intuemur ac conſpicamur. Addo quod & veterum configurationes ſtellarum, ad quas judicia accommodari voluerunt, non amplius congruant? anticipant æquinoctia & ſolſtitia: mutantur ἐκκεντρότητες Planetarum: non omnibus temporibus eadem eſt orbium cœleſtium à terra diſtantia: In Genethliacis tam variæ concurrunt cauſſæ, ut nihil prorſus certi pronunciari poſſe videatur, ideoq; ne titivillitio quidem æſtimandum ſit prædictionum iſtarum pretium. Hæc & alia objici poſſe non ignoro, & puto quoq; rectè objici iis, qui ſignificatis aſtrorum, nos ceu prætoriis quibuſdam edictis & fatalibus legibus obligant. Interea certiſſimè tenendum, manere nihilominus veriſſima ea atq; indubitata, quæ certo duce, teſte experientia, didicimus atque intelleximus. Neq; enim naturæ ordo invertitur, quem Deus & condidit & conſervat, & ſunt inſtructæ certis viribus cœleſtes cauſſæ, quibus idem eodem modo ſemper agere dubium nullum eſt, immò longè certiùs agere intelliguntur, quàm phyſicæ atq; naturales propinquæ cauſſæ, eò quòd natura illarum longè ſit perfectior atque potentior. Hoc tamen addendum ſemper, ſupremam illam cauſſam cauſſarum, Deum ter Opt. Max. pro liberrimo arbitrio & voluntate totam illam naturam regere, diſponere, moderari. Deinde & naturarum elementarium non eſſe genus unum, ſed varium & multiplex, itaq; cœleſtium cauſſarum ad eas ipſas diverſas naturas non eſſe eandem rationem atq; analogiam, & proinde diſparem quoq; prædictionum certitudinem. Majore namq; vi atq; longè efficacioribus cauſſis univerſas regiones ac gentes quàm homines ſingulos commoveri atq; effici, quare non eſſet veriſimilius? In illis enim ut cauſſæ ſunt validiores atq; principaliores, ita minus accedunt aliæ quæ eaſdem remorentur atq; impediant: In hominibus verò ſingulis etſi craſis & temperamentum à ſtellarum influentia afficiatur, tamen judicio

genus duplex occurrit, primarium alterum, alterum secundarium. Primaria caussa Deus est, qui liberrimè caussis secundis utitur. Caussæ secundæ, cœlestes sunt aut physicæ. Cælestes communes, quæ omnes eodem cœlo natos cõplectantur atq; afficiant. Particulares quę ad certas terræ partes vel certa hominum individua extendãtur. De communibus ut minus dubitari potest, ita de particularibus quæ integras regiones respiciunt observandum, proficisci eas ex mirifico illo & penè familiari consensu stellarum cum quatuor illis triangulis in Signifero ab Astrologis efformatis, adeoq; cum stellis utrisque tùm errantibus tùm fixis sub iisdem consistentibus ac decurrentibus. Compertum enim est & indubitatum penè, imitari totas gentes, & naturis atq; moribus exprimere proprietates certorum signorum Zodiaci, quibus & situ & cognationis familiaritate subjiciantur. Particulares verò singulorum individuorum caussæ, sunt illæ cœli constitutiones, quæ vel formationem fœtus adjuvant, vel nascenti in hunc mundum affulgent, & prodeuntem ex utero quasi excipiunt atque amplectuntur. Ex hisce commemoratis caussis solis si Astrologus de cujusvis ingenio, felicitate aut infelicitate judicium facere deberet aut posset, utiq; non toties falleretur, quemadmodum falli ipsum novimus atq; intelligimus. Sed concurrunt & caussæ physicæ tum remotæ tum propinquæ. Remotæ quidem quales sunt familiares & consuetæ singulorum locorum tempestates, terræ conditio & positus, quæ vel montosa vel plana, vel sylvis cõsita est, vel ad mare vergit, & stagnis paludibusq; abũdat. Propinquæ ut victus & diætæ ratio, exercitia, somni, vigiliæ, parentes sobrii vel temulenti, educatio, institutio, aër circumstans natalis tempore, & id genus infinita alia. Tot caussæ inquam cum concurrãt, & præterea homo non sit bruta quędã natura, neq; ita addicta impulsibus illis aut influentiis cœlestibus, quin maneat agens liberum & intelligens, τὸ ἑκούσιον retinens in externis actionibus, utiq; jam facilè poterit colligi quid de divinationibus illis, quæ ex astris de singulorum hominum fatis instituũtur, judicandum atq; pronunciandũ videatur. Perspicua igitur sententia est, quod si Mathematicus Astrologus omnium illarum dictarum caussarum colligationem, seriem atq; ordinem tam exactè & accuratè animo perspiceret suo, ut ne unius quidem circumstantiæ ratione falleretur, verissimè etiam de singularium hominum statu sit pronunciaturus. Quandoquidem verò hoc tale est opus, quod ne in

angeli-

angelicam quidem naturam poteſt cadere, quia nec angeli liberam hominis voluntatem perveſtigare poſſunt, utiq; manifeſtum evadit, ex aſtrorum poſitu Mathematicum tantum prædicere poſſe, quantum aſtrorum poſitus ille minitatur atq; intendit, ideoq; verecunda mentione cæterarum cauſſarum facta inclinare quidem aſtra, non autem neceſſitare pronunciabit. Ac ut tandem orationi meæ Colophonem imponã, ex his ipſis hactenus commemoratis ultrò videtis corruere, & alterum genus eorum, qui minus rectè de prædictionibus Aſtrologicis ſentire videantur, dum iiſdem abſolutam penè omnium actionũ neceſſitatẽ affigunt, & homines cœlo ceu tabulis parcarum & legibus quibuſdam fatalibus ſubjiciunt, adeò ut nihil ſuadeant ſuſcipiendum ſeu publicè ſeu privatim, ſeu domi, ſeu foris, niſi inſpecto atq; perquiſito cœlo. O ſtultas hominum mentes, ô pectora cœca. Procul abſit à nobis delira illa Stoicorum neceſſitas, qua Deo & imperium naturæ eripitur, & voluntas humana ipſa pecuino ſervitio premitur. Quin potius veriſſimum hunc verſiculum teneamus, atq; meditemur ſubinde,

Fata movere Deus, tollere fata poteſt. Et opponamus ineptis illis Stoicis, Priſcillianiſtis, Manichæis, & aliis divina illa ſacrarũ literarum pronunciata, Ne diſcatis viam gentium, neq; metuatis ſigna cœleſtia, ſicut gentes metuunt ab iis, ſiquidem leges populorum ſunt vanitas, & nec inferre malum vobis poſſunt, nec benefacere eſt in eorum poteſtate. Et iterum Eſ. 47. Sta nunc cum divinatoribus tuis & cum multitudine magorum tuorũ, cum quibus fatigaſti te à pueritia tua, ſi forte poſſis proficere, aut forte te roborare. Moleſtata es in multitudine cõſiliorum tuorum: ſtent nunc & ſalvent te ſcrutatores cœlorum, & contemplatores ſtellarum, & qui ex lunationibus futura judicant, quæ ventura ſunt ſuper te. Ecce facti ſunt, quaſi ſtipula ignis comburentis eos, nec liberabunt animam ſuam de manu flammæ.

ORATIO
DE PRINCIPIO INDIVIDUATIOnis, collatis ſententiis Jacobi Zabarellæ & Archangeli Mercenarii.

Od 8.

PRÆCLARE Pindarus, (ut omnia), in Nemeis: Magnifice Dn. Rector, ampliſſimi, reverendi, clariſſ. conſultiſſimi, præſtantiſſimi, omni virtutis, & laudis genere viri, tuq; pulcerrime ſtudioſæ juventutis flos, hoſpites item quotquot adeſtis exoptatiſſimi: Præclarè inquam Pindarus in Nemeis, in Diniæ ſtadii curſoris laudem ſententiam hanc cecinit, αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἀΐσσει, σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα, id eſt, Creſcit autem virtus exaltata per juſtos ritus, & ſapientes virorum, ſicut cum arbor perviridificantes rores ſurgit ad liquidum æthera. Cum quo coincidit elegantiſſimum Poëtæ illud,

———— laudataq; virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Eſt enim profectò res haud levis aut exigua, virtutis nomine commendari, & ut Hector ille Nævianus ajebat, à laudato laudari viro. Veriſſimè enim Cicero pro Milone, ſi laus allicere nos ad rectè faciendum non valet, nec metus quidem à fœdiſſimis factis poterit avocare. Quam ob cauſſam πολυθρύλλητος ille Themiſtocles, cùm ex eo quæreretur, quodnam acroama, aut cujus vocem libentiſſimè audiret? ejus à quo ſua virtus optimè prædicaretur, reſpondiſſe fertur. Multò verò majus eſt, non ſolùm oratione & verbis laudari privatim, verumetiam facto & re, tanquam ſymbolum virtutis & laudis, publicum auferre præmium. Hujus rei accuratiore conſideratione extimulati, præſentes in medium producti candidati viginti & unus, id unicè dederunt operam, ut poſteaquam à parentibus honeſtis & piis in Academia noſtra partim educati, partim ad eandem conſilio prœmaturo, nec ſpe minori, tanquam ad officinam & mercaturam bonarum literarum virtutisq; tranſmiſſi eſſent, aliqua ſaltem ratione demonſtrarent, ſe in univerſo ſtudiorum curriculo nil minus in animo habuiſſe quàm ſpem ſuorum fallere ſeq; cum ipſis turpi ignavia & otio decipere. Ob oculos itaq;

Cic. pro Arch.

ſos itaque poſuêre diligenter, graviſſimam Pindari ſententiam, χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα, μάρναθαι φυᾷ, πράσσει γὰρ ἔργῳ μὲν σθένος, βουλαῖσι δὲ φρὴν, ἐσσόμενον προϊδεῖν συγγενὲς οἷς ἕπεται: id eſt; Oportet autem in rectis viis ambulantem anniti naturæ viribus, auxiliatur enim operi quidem robur, conſiliis autem mens, hæcq; comitatur à natura inſita futurorum proſpicientia.

Od.1.in Nem.

Animadverterunt nimirum candidati noſtri, quòd niſi aliquandò exantlati laboris cultæq; virtutis teſtimonium publicum conſequerentur, minus probè officio ſuo defuncti parentúmve ſpei aut expectationi reſpondiſſe, poſſent videri. Quæ res calcar ipſis fuit, ut ſuaviſſimo honoris & præmii deſiderio allecti, haud ita pridem Collegium noſtrum philoſophicum de communicando Baccalaureatus gradu compellaverint, tantumq; obtinuerint, ut præeunte examine ſatis diligenti, ipſorumq; in Logicis, Rhetoricis, Sphæricis, Arithmeticis & Græcis induſtria morumq; elegantia exploratis, digni planè fuerint judicati, quibus honos petitus ac teſtimonium publicum, publicè hac die à me laudati philoſophici ſenatus nomine conferatur ac diſtribuatur. Revocarunt ſibi in mentem, quòd tametſi præmiolum externum, ſertum videlicet laureum exiguum ſit, honos tamen collatus ſit maximus. Qua ſanè in parte judicium ipſorum tanquam maximè ſobrium non poſſum non ſummoperè commendare. Quid enim ſi præmii pretium ſpectes, in ludis illis Græcorum celeberrimis, Olympiacis, Pythiis, Nemeis, Iſthmiis, victores rei magnæ reportârunt? quid divitiarum, quid gloriæ, quid laudis? Cùm in Olympiacis ludis, victores Cotino, ideſt, olea agreſti coronarentur, in Pythiis pomo, ſeu potius lauro ut vult doctiſſ. Scaliger in Poëtica, in Nemeis apio, in Iſthmiis pinu, quemadmodnm habet vetuſtum illud Archiæ epigramma.

lib.1.cap.24.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἐν Ἑλλάδι· τέσσαρες ἱεροὶ
Οἱ δύο μὲν θνητῶν οἱ δύο δ'. ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Sacra per Argivas certamina quatuor urbes:
Sunt duo facta viris & duo cœlitibus

ſpectacula tanquam longè lateq; decantatiſſima, univerſum penè nomen græcum conflueret, ſi honos victoribus decretus ex præmii tenuitate fuerat æſtimandus: Quid ineptius, nobiliſſimos quoſq; & fortiſſimos Græciæ heroas tantos feciſſe ſumptus, tàm inutiles, in alendis celetibus ſeu equis deſultoriis, in inſtruendis bigis quadrigiſq;: fatigaſſe corpus curſu, lucta, ſaltu, jactu, quinquercio: torſiſſe ingenium muſicis poëticiſq; certaminibus ſubeundis? ſi nihil quàm tantillum reſtabat præmiolum? honos igitur fuit, honos inquam, qui non ex laureata corona ut pretio, ſed ut ſymbolo applauſus & judicii, ab Hellanodicis ſeu judicibus ad præmia illa diſtribuenda deſtinatis de virtute victorum facti, erat æſtimandus. Hunc tantum fuiſſe ajunt, ut majus quiddam eſſet ornari à judicibus præmio in Græcia, quàm Romæ triumphum agere. Quare ergò judicium Candidatorum noſtrorum non laudem? quare non commendem aut extollam? qui honorem & teſtimonium laudatæ facultatis noſtræ in juſto habentes pretio, præmium quamvis tenue, ornamento tamen ſibi maximo fore, incitamento verò ad majora non infrugifero rectiſſimè perſuaſum habent. Quid contrà fucos illos non vituperem, non reprehendam, qui gradus hujus & brabéi primi ſcholaſtici dignitatem ignorantes, nequaquam ſe laurea corona inſigniri deſiderant, dedecus eſſe putant, auream volunt, cæco judicio ad Magiſteriam dignitatem properantes citius quàm digni hac laurea prima poterant judicari. Falluntur hi contemptores & ſuggillatores primi gradus peſſimè: id quod ipſi etiam haud rarò cum rubore & confuſione fateri coguntur, quando in Magiſtrandorum examinibus deinceps vix ac ne vix quidem ad Logica, Rhetorica, Mathematica, Græca, ea felicitate & dexteritate reſpondent, qua ſe reſponſuros, domi ſcilicet egregiè eruditi, inani ſibi perſuaſione imaginabantur. Neſciunt videlicet ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς quantò plus dimidium ſit toto, cùm principium honoris auſpicatum neglexerint, in examinibus antehac tentati non fuerint, quæ ſibi ad ſolidam eruditionem deſint, non didicerint, ideoq; digni qui inferioribus deinde collocentur locis. Quare non minus honoris, non minus gloriæ, in laurea quàm aurea corona fuerit requirendum. Sed longius fortaſſe προοίμιον: ad rem propius. Noviſtis auditores humaniſſimi, conſuetudinē in hac Academia receptam eſſe laudatiſſimam, ut qui Promotoris vicem ſuſtinet, ante diſtributionē præmiorum publico-